

7. Sekundärliteratur

Natalicia secularia Augusti Hermannii Franckii die XXIII. mensis Martii anni [MD]CCCLXIII. In Aula Magna Orphanotrophei ... publice celebranda

Eckstein, Friedrich August

Halle (Saale), 1863

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

5:
2



Verlagsbibliothek
der
Buchhandlung des Waisenhauses
in
Halle (Saale).



→: Gegründet 1698. :←



I 319

NATALICIA SECULARIA
AUGUSTI HERMANNI FRANCKII

DIE XXIII. MENSIS MARTII ANNI CIOIOCCCLXIII.

IN AULA MAGNA ORPHANOTROPHEI

PUBLICICE CELEBRANDA

EX OFFICIO INDICIT

FRIDERICUS AUGUSTUS ECKSTEIN.

INEST

A. H. FRANCKII NARRATIO DE ORPHANOTROPHEO GLAUCHENSI.



HALIS SAXONUM

LITTERIS ORPHANOTROPHEI.

1863.

NATALICIA SECULARIA
AUGUSTI HERMANNI FRANCKII

DIE XXIII. MENSIS MARTII ANNI CIOIOCCCLXIII.

IN AULA MAGNA ORPHANOTROPHEI

HORA IX.

PUBLICICE CELEBRANDA

DIRECTORII AEDIIUM FRANCKIANARUM NOMINE

EX OFFICIO INDICIT

FRIDERICUS AUGUSTUS ECKSTEIN.

INEST

A. H. FRANCKII NARRATIO DE ORPHANOTROPHEO GLAUCHENSI.



HALIS SAXONUM

LITTERIS ORPHANOTROPHEI

1863

NATALICIA SECLARIA

AUGUSTI HERMANNI FRANKII

DIE XXIII. MENSIS MARTII ANNI MDCCCXXIII.

IN AULA MAGNA ORPHANO-TROPHAEI

HORA IX.

REHILGE GELBRANDA

DIRECTORIUM UNIVERSITATIS NOMINE

DOCT.

FRIDRICH AUGUSTUS ECKSTEIN.



FS.5:062

INEST

A. H. FRANKII NARRATIO DE ORPHANO-TROPHAEI CLAUSTRIS



HALIS SAXONUM

LIBRARIUS ORPHANO-TROPHAEI

1823

Mercurialis haec aetas percuriosa est in sollemnibus secularibus indagandis et multis testimoniis probat illud Venusini poetae: virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quaerimus invidi. Quare proximis his annis eorum virorum, qui sempiterni nominis gloria nitent, natalicia sollemnia communi laetitia suscepta gratissimi animi testificandi, inventutis ad imitationem virtutis excitandae, universae patriae celebrandae maximas opportunitates atque etiam necessitates praebere visae sunt. Ita nobis quoque praeterita tempora grata recordatione renovanda sunt, nam instat dies, quo Augustus Hermannus Franckius ante hos ducentos annos Lubecae parentibus honestissimis natus est. Non vereor, ne quis alienum me animum habuisse existimet, si quaecumque ille puer et adolescentulus Gothae, Erfordiae, Kilonii, Lipsiae, Lunaeburgi, Hamburgi egit, didicit, perpressus est, sciens praeteriero. Neque labores et vexationes, quae in ministerio Erfordensi ei subeundae fuerant plurimae, huic instituto accommodatae sunt. Ex quo demum Franckius initio anni 1692. pastor Glauchensis et gr. et. or. lingg. in universitate Halensi professor Halam pervenit, benignior sors ei campum dedit, in quo singularis et dicendi et agendi virtus excurrere cognoscique posset. Fuit vero in Franckio rara contentia, assiduitas, gravitas, fides atque ita multum spe et conatu valuit, ut ne in desperato quidem auxilio et adiumento tristis umquam et abiectus esset neve difficultatibus solito maioribus territus de curriculo suo deflecteret, quoniam omnes animi sui motus divina gratia suspensos habere omnibusque in rebus divinum regnum adfectare solebat.

Si mihi nunc de theologicis Franckii studiis et de pietistarum rebus dicendum esset, inter quos ille Spenero suo multo fuit acrior, fortior, audacior, pertinacior atque adeo durior, plurima et maxima commoda commemorare possem, quae illo tempore evangelicae ecclesiae a Luthero et Melanthe deflexae atque adeo corruptae et depravatae per illos pietatis sinceræ sospitatores allata esse una voce omnes consentiunt. Scilicet ecclesia vinculis turpissimis orthodoxorum exsoluta et in libertatem vindicata est. Theologi, ad quos hoc maxime pertinet, referant, quantas gratias, quanta studia, quam promptas voluntates conciliabula pietistarum pepererint, quam acerbos et vehementes accusatores habuerint, quot adversariorum vel stultitiam vel arrogantiam vel odia pertulerint.

Nobis laetiora et graviora in promptu sunt, quibus animi in hac sollemnitate capiantur et delectentur.

Nam cum Franckius civium suorum Glauchensium tristissimam condicionem cognovisset, magna cum industria (erat enim vir maximi laboris) pauperum et calamitosorum curam et auxilium ipse in se suscepit et ad opem salutemque orbis et indigentibus pueris ferendam se convertit. Qua in occupatione quantas delectationes habuisset et quam innumerabilia divini numinis testimonia accepisset, ipse copiose declaravit iis litterarum monumentis, e quibus vestigia viventis adhuc dei in institutis Franckianis non pressa leviter, sed fixa ad sempiternam memoriam optime intelleguntur. Ex eo orphanotropheo, cuius satus, ortus, incrementa in omnium ore versantur, tanta manavit meritorum multitudo, ut huic urbi aeternam gloriam famamque perennem pareret et Franckio in ecclesiasticarum et scholasticarum rerum annalibus summam dignitatem et maximum splendorem daret.

Est vero totus hic locus de Franckii in paedagogicam artem meritis latissime patens et, quamquam a summis viris*) uberrime tractatus, non alienus, in quo haec disputatio paulisper commoretur.

Ad cognoscenda consilia, quibus ille puerorum educationi providit (nam quae de academicis theologiae studiis commentatus est, quia I. L. Schulzius in: „Frankens Stiftungen Vol. II. p. 221—266. fusius contulit, consulto praetermitto), caput est nosse libros, quos de ea re scripsit.

Ut prima initia aetatis integra et inviolata praestaret et orbis a se receptis et parentibus, qui suos pueros commendaverant, consuleret, puerilem doctrinam primus curavit. Atque eo consilio formam et speciem scholarum germanicarum (hoc enim nomine et olim appellabantur et hodie vulgo appellantur) accurate descripsit. Quam cum primis quasi lineis adumbrasset in narratione Francofurti a. 1697. edita p. 72—168.: *Schul-Ordnung für die Waysen- und übrige Schul-Kinder*, multo auctiorem

*) Commemorandi sunt primum duo A. H. Niemeyeri libelli, quorum prior *Uebersicht von A. H. Frankens Leben und Verdiensten um Erziehung und Schulwesen* prodiit a. 1788., alter *Ansichten der deutschen Pädagogik und ihrer Geschichte im achtzehnten Jahrhundert* a. 1801., utriusque vero capita summa recepta in praecepta paedagogica et didactica ab Hermanno Agathone Niemeyero nonum edita Vol. III. p. 562—577. H. Ern. Ferd. Guericke in vita Franckii capite quinto p. 421—436. Franckium paedagogum non expressit, sed adumbravit. Carolus Raumerus, rerum Halensium non ignarus et propensiore ad Franckiana instituta et praecepta probanda animo, aliquot libellorum huc pertinentium immemor fuit in histor. paedagog. artis Vol. II. p. 150. sqq. Nuper G. Kramerus ea de re accuratius egit partim in recitatione publice de Franckio, Rous-savio, Pestalozzio facta (a. 1854.) partim in Schmidii Encyclop. paedag. Vol. II. p. 431.

emendatioremque repetiit duobus annis post: *Glauchische Schul-Ordnung Im Namen Sr. Churfürstl. Durchl. zu Brandenburg Confirmiret von der Hochlöblichen Regierung und Consistorio des Hertzogthums Magdeburg*, denique absolvit a. 1702: *Ordnung und Lehr-Art, wie selbige in denen zum Waysen-Hause gehörigen Schulen eingeführet ist, Worinnen vornehmlich zu befinden, Wie die Kinder in und ausser der Schul in Christlicher Zucht zu halten, und zum Lesen, zierlichen Schreiben, Rechnen, wie auch zur Musik und andern nützlichen Dingen anzuführen sind*, quae iterum impressa sunt in amplissimo volumine, quo „documenta operis divini“ continentur p. 173—236. Disciplinae vero universae haec fuit ratio, ut pueri in praecipuis capitibus fidei christianae instituerentur, ad vivam cognitionem dei et Christi et ad veram christianismi praxim adducerentur, pietate vere christiana excolerentur. Quare catechisationibus, quae neque gravissimis theologorum desideriis neque severissimis principum mandatis excitari potuerant, plurimam auctoritatem tribuit easque quotidie vel in scholis vel in ecclesia fieri iussit. Nec vero assiduam bibliorum lectionem et memoriae in ediscendis dictis biblicis exercitationem neglegi passus est. Ut haberent pueri, unde elementa ista fidei cognoscerent, edidit anno 1693: *Das Glauchische Gedenkbüchlein*; anno 1696 libellum: *Anfang der christlichen Lehre, zum Gebrauch für die ganz Unwissende*; anno 1699: *Kürtzer Auszug aus der Anleitung zur Lesung der heiligen Schrift, in Frage und Antwort gefasst*. Reliquae vero scholae artibus legendi, litteras pingendi, cuius auctorem G. Rostium Friburgensem esse voluit, computandi, denique, ut cantibus symphoniarum sacrarum melius consuleretur, canendi destinatae sunt. Et ut industriae et laboris stimuli ne deessent, examinibus providit quater per annum publice institutis et placentis, pomis aliisque tenerae aetatis oblectamentis distributis, id quod initio quavis hebdomade plena factum erat. Magistri vero tot scholarum cum ex adolescentibus litterarum studiosis plerumque rudioribus eligendi essent, etiam his usu suo et favore omni modo subvenit, seminaria instituit, methodum docendi praeivit, cibi quotidiani benevolentia allexit eorumque in usum anno 1702. edidit librum, cui inscriptum est: *Kürtzer und einfältiger Unterricht, wie die Kinder zur wahren Gottseligkeit und Christlichen Klugheit anzuführen sind, ehemals zu Behuf Christlicher Informatorum entworffen, und nun auf Begehren zum Druck gegeben*, repetitum illum in documentis operis divini p. 98—172 et denuo impressum a. 1748.

Non minora officia et studia Franckius pueris, qui in artibus ingenuis aliquando operam collocaturi erant, strenuo praestitit. Condidit duo gymnasia, paedagogium nobilioribus et ditioribus, scholam latinam orbis acriore ingenio valentibus et tenuioribus ad academiam praeparandis. In his scholis instruendis partim exemplum Gothanum, quod

Ernesto Pio debetur, partim Morhofii Kiloniensis quondam praeceptoris instituta, partim Sagittarii sui consilia, partim Tschirnhusenii summi mathematici auctoritatem secutus artes, quas admirabilem pietatem et pergratam utilitatem habere sibi persuaserat, tam apte coniunxit, disposuit, ad summum christianae pietatis finem retulit, ut alia gymnasia inde publicarum scholarum emendandarum leges et praescriptiones petere possent. Continentur eae leges singulari libello, cuius titulum integrum: *Ordnung und Lehr-Art, wie selbige in dem Paedagogio zu Glaucha an Halle eingeführet ist: Worinnen vornehmlich zu befinden, Wie die Jugend, nebst der Anweisung zum Christenthum, in Sprachen und Wissenschaften, als in der Lateinischen, Griechischen, Ebräischen und Französischen Sprache, wie auch in Calligraphia, Geographia, Historia, Arithmetica, Geometria, Oratoria, Theologia, und in denen Fundamentis Astronomicis, Botanicis, Anatomicis etc. auf eine kurtze und leichte methode zu unterrichten, und zu denen studiis Academicis zu praepariren sei* (Hal. sumptibus orphanotropei 1702.), qui perlegerit, non desiderabit ampliorem artium descriptionem, quarum copiis mira varietata ingenia ali et oblectari ista aetas voluit. Propria erat methodus docendi erotematica tunc vulgo fastidita et contempta. His duabus scholis Franckianis communia sunt antiquarum litterarum studia maxime ad scribendi et latine dicendi sollertiam et ornatum accommodata, discipulorum in singulos ordines in singulis artibus descriptio neque certo cuidam ordini in omnibus scholis assignatio, elegantia quaedam morum externorum peculiaribus [scholis tradita, inspectorum a docendi munere vacuorum cura in sola moderatione et magistrorum et alumnorum posita, contubernia alumnorum salubriter exstructa contubernaliumque diligentissima ac perpetua quasi praefectura magistris mandata. Sed cum Franckius animum maxime adverteret ad parentum condicionem et fortunam neque puerorum futurum vitae cursum et propositum negligeret, paedagogio tribuit certa ac propria instituta, quorum expers esset schola latina. Eo referenda sunt botanica, astronomica, physicae experimentalis atque adeo carniū assarum secundarum studia, quae horis ad recreationem corporis destinatis (ita enim vocabantur) tractari solebant, eo lectio actorum diurnorum vel gallice vel latine scriptorum, eo exercitia tornandi et vitri poliendi, eo denique consuetudo tabernarum librariorum et opificum visendi, unde in studiis cognoscendi semper aliquid et discendi otiosum tempus consumendum fuisse apparet. Proprium illud quoque fuit, ut ex sex diebus duo quavis hebdomade repetendis scholis tribuerentur, quibus ordinariae lectiones omnes cessarent, proprium denique, ut tribus tantummodo lectionibus discipuli docerentur eoque modus discendi sapienter terminaretur. Severitate disciplinae ad laborem et virtutem roborandi erant pueri, neque tamen omnia voluptatibus denegata, nam quies, remissio, ambulatio, ludi

certis temporibus iisdemque raris concessi. Ea vero methodus paedagogii regii cum per viginti fere annos vixisset, per Hieronymum Freyerum anno 1721. edita est: *Verbesserte Methode des Paedagogii Regii zu Glaucha vor Halle*: ubi quae de veterum scriptorum lectione praecipiantur, aliquanto prudentius sunt instituta, licet ubique profani et christiani scriptores turpiter misceantur et confundantur velut Lactantius et Ambrosius cum Cicerone, Prudentius cum Horatio et Vergilio, Nonnus, si diis placet, cum Homero aliaque eius generis ac chrestomathiae potissimum manibus versandae commendentur. Historicis scholis, id quod sperandum erat a viro historiae peritissimo, maior dignitas tributa est.

Diversorum generum atque ordinum discrimina cum accurate distingueret Franckius, puellis quoque nobilioribus gynaeceum constituit, tamquam alterum paedagogium; in quo qua ratione eruditae sint alumnae, explicatum est a me infra p. 12. Graecas ibi scholas quod non neglexit, testatur egregie, quam diligenter seculi sui mores et consuetudines respexerit. Constat enim illo tempore matronas honestas novum testamentum graece tractasse*) et disputationum atque adeo contentionum theologiarum cupidiores fuisse quam nunc vulgo fit.

Eae res ut rumoribus secundis crescerent et studiis sermonibusque hominum divulgarentur, effectum est singulari Franckii sedulitate, qua commotus et de universi operis (sic vocare solebat) originibus et incrementis et de singularum scholarum forma quotannis fere libellos edidit, quos enumerare hic longum est. Illa sedulitas quem fructum tulerit, quantum ad voluntatum inclinationem, quae non repente facta est, valuerit, quam famam orphanotropheo collegerit, monumentis annalium nostrorum mandetur.

Haec nostra deinceps ad alios translata multum fecerunt ad scholas et minores et maiores emendandas, si quidem ex his bonis alia bona propagata sunt et virtus disciplinae Halensis propria laude et commendatione ad externos floruit. Ne dicam de collegio Fridericiano Regimontii condito vel de paedagogio Zullichaviensi vel de Zinzendorfianorum scholis, tardum dictu est quot fuerint seculo proximo gymnasia adeoque hac aetate sint, quorum rectores et magistri in his quondam scholis docendi tirocinia posuerunt, quot orphanotrophea ad Franckianum exemplum et huius orphanotrophei regulam aptata et praeceptoribus hinc arcessitis tradita, quot ecclesiae, quarum ministri hic vel eruditi vel ad docendi munus aptiores facti ad scholarum suarum correctionem curas et cogitationes contulerunt. Ac remoto paedagogio, in quo quadringentos quinquaginta unum praeceptores fuisse constat, ut in ceteris scholis subsistam, inde ab a. 1755

*) Cf. I. Horkelii orationes et commentationes p. 102.

ad a. 1798 computantur magistrorum tria milia quingenti nonaginta octo, ut computatione totius temporis facta non erraverit, qui universorum numerum decem milia superare statuat. Discipulorum vero omnium certus numerus nequit proferri, quia desunt pleni et integri eorum indices, qui scholas germanicas frequentarunt; in paedagogio vero scimus quattuor milia centum undenonaginta fuisse, in schola latina viginti milia trecentos sedecim, in reali denique, quae inde ab anno tricesimo quinto huius seculi floret, tria milia quingentos, ex quibus quot pueri pietatis stimulis et exemplorum luce impulsii sint facili negotio intellegatur. Praetereo eorum librorum designationem, qui scholarum usui hic scripti per universam Germaniam usurpari et in alias linguas transferri coepti sunt: satis erit nomina protulisse illius A. H. Franckii, I. A. Freylinghusii, Hieronymi Freyeri, Ioachimi Langii, cuius latina grammatica quadragiens bis impressa Schulzium medicum Halensem ad graecam simili ratione scribendam commovit, I. G. Hoffmanni, I. Iul. Heckeri, I. A. Niemeyeri, Georgii Sarganeccii, Steinersdorfii, Christ. Fr. Schraderi, Choffini, Heinzelmanni, Wolframii, Fabri, Kirchhofii, Nicolai, Iunkerii, A. H. Niemeyeri, I. A. Schirlitzii, Th. Echtermeyeri, M. Seyfferti, C. Petri aliorum usque ad H. Adalb. Danielelem nostrum, qui hodie in geographicis scholis unus dominatur.

Quae si quis secum reputaverit et cogitaverit, summo iure celebrari a nobis eum diem concedet, quo Franckius, cui praeclara nostra omnia debentur, duobus abhinc seculis natus est. Quibus sollemnibus ut tralatitio more praeluderemus, officii studio hanc operam atque munus suscepimus, ut epistolam a Franckio ad Matherum de orphanotropheo scriptam ederemus, quae, etsi non incognita fuit nostris hominibus, nondum tamen litterarum formis descripta est. *)

*) Alteram epistolam, qua res in orphanotropheo gestae usque ad annum 1721. continentur, Ioannes Henricus Callenbergius auctore Franckio scripsit; quae cum s. Franckio et administris eius quibusdam lecta et probata esset, ad Matherum missa est. Eam Callenbergius edidit inscriptam: Narratio epistolica ad Cott. Matherum — qua continetur historia ecclesiastica Halensis annorum huius saeculi septem XV. usque ad XXI. nec non genuina relatio de principis Saxonici ad ecclesiam evangelicam reditu. Halae in typographia instituti iudaici CIOIOCCXXXV. Quae ibi narrata sunt de Mauritio Guilelmo duce Saxonico per Franckium ad evangelium reducto, ea multo accuratius tractavit Christ. Frid. Fritzscheus, huius scholae quondam decus, duabus commentationibus de Iesuitarum machinationibus Halensis theologi opera ad irritum redactis (Halis 1839 et 1840). Tertium commentariolum, in quo Franckii de eadem re narrationem in tabulario nostro servatam vir ille venerabilis editurus erat, non absolvit.

AUGUSTI HERMANNI FRANCKII
NARRATIO DE ORPHANOTROPHEO GLAUCHENSI.

Viro maxime reverendo atque amplissimo

D. COTTONO MATHERO,

ecclesiae Christi Bostonensis in America ministro

fidissimo,

Augustus Hermannus Franckius

uberrimam in Christo salutem dicit.

Litteras tuas, die 10. Ianuarii anno 1712^{mi} ex India occidentali ad me datas, una cum adiunctis libellis et nummo aureo ad d. 1. Aprilis 1713. rectissime accepi: *) illae autem, quas die 28. Maii 1711. abs Te missas esse scribis ac quarum exemplum istis incluseras, mihi nondum sunt redditae. Sane ingenti me gaudio adfecerunt binae istae litterae Tuae, tum propter donum ex tam remotis regionibus praeter spem atque opinionem meam orphanotropheo nostro oblatum librosque mihi destinatos, tum praecipue eam ob causam, quod inter eos, quibus causa Dei his temporibus curae cordique est (quorum multos per divinam gratiam novi) et Te esse intellexi. Quod ipsum partim libris ad promovendam Christi cognitionem abs Te conscriptis perspexi, partim ex sanctiore voluptate, quam ex institutorum nostrorum ad eundem finem spectantium delineatione Te cepisse verbis pluribus narras, non immerito iudicavi. Hinc factum est, ut compellatio Tua, qua in aliquius libelli praefatione ad indefessam operis Dei continuationem me cohortaris, imprimis autem preces piaque vota, quae pro me meisque collegis ac orphanotropheo **) nostro litteris tuis nuncupasti quaeque quotidie abs Te ad Deum fieri adfirmas, animum meum meorumque collegarum ad

*) Ea epistola etiam nunc exstat, in qua scriptum est: „Orphanotropheo Vestro aureum quoddam munusculum offero.“ De libellis, quos Franckio misit, haec dicit: „Homunculus hic est (semet ipsum significat Matherus), qui ab anno suae aetatis decimo septimo iam ad annum quinquagesimum secundum evangelico ministerio in Bostona, totius Americae Anglicanae metropoli et pastoralis ecclesia in his provinciis numerosissima cura fungitur. Haec pastoralis cura, qua plane impletam semper habuit manum, ex quo puerulus in tremendum et amandum Christi ministerium est consecratus, non impedivit, quin et manu et scriptione evangelizaverit, et plus quam ducentos et quinquaginta libellulos in variis linguis et variis de rebus, omnia vero pro causa Christi promovenda exaravit atque publici iuris fecit. — Ex his libellulis quosdam nuperrime editos submitte offero.“ Deinceps eum potissimum, cui Bonifacius nomen inscriptum est, commendat et optat ut in theoticam linguam transferatur. Praeterea „Magnalia Christi Americana“ Londini 1698 edita commemorat, quo amplissimo volumine historia ecclesiarum Americanarum continetur. De Bibliis Americanis copiosissime explicandis dixit Callenbergius narrat. epistol. p. 2.

**) Ὁρφανотροφεῖον ex Byzantiis iureconsultis (Basil. Prochir. p. 92, 8. Harmenop. III, 3, 5) desumptum per mediam aetatem de loco in quo orphani aluntur usurpari coeptum est. Orphanotrophium non minus verum est quam orphanotropheum.

laudandam inenarrabilem caelestis patris bonitatem mirifice excitarint. Pro quo divino beneficio, et quod istam Tibi mentem indidit, ipsi iterum iterumque gratias ago, et ut eandem mentem Tibi perpetuam esse iubeat atque in amplificando illuc etiam locorum Christi regno in dies magis magisque defigat, ex animo precor. Quam iucundae igitur Tuae mihi fuerunt litterae, tam vehementer doleo, quod pro eo ac debui illis respondere adhuc haud potuerim. Tanta nimirum negotiorum multitudine (quod verè adfirmare possum) adhuc distentus fui distineorque, ut, nisi Deus Optimus Maximus sua me singulari gratia suffulciret confirmaretque, succumbendum mihi iam pridem fuerit. Neque in laborum meorum perfunctione, imprimis etiam in responsionibus ad amicorum epistolas, aliter mihi usu venire solet ac torrenti, qui ea, quae in strepitu sibi potissimum obvia habet, secum rapit, caetera autem suo loco immota ac intacta relinquit. Hinc praeter destinationem meam fit quam saepissime, ut eorum, quos alioquin carissimos habeo, epistolis sero respondeam: quod idem et Tuis, vir maxime reverende, litteris accidit. Quamobrem Te maiorem in modum rōgo atque obtestor, ut pro benevolo, quo es in me animo, diuturniori silentio meo ignoscere et hanc seram responsionem meliorem in partem interpretari haud dedignere. Ut autem tarditatem meam quodammodo compensem, de statu rerum nostrarum praesenti, quippe quem Te scire velle facile intelligo, paulo fusius scribam, illudque Tibi me gratissimum facturum plane persuasus sum.

Miraberis, scio, vir maxime reverende, laudabisque de novo summam Dei providentiam, ubi ex iis, quae consequentur, cognoveris, quod instituta nostra in longe ampliorem statum deducta sint, quam in quo tum temporis fuerunt, cum libellus *Vestigia adhuc viventis Dei inscriptus*,*) ab interprete autem pl. rev. Antonio Guilielmo Boehmio „*Pietas Hallensis*“ dictus, lingua Anglicana in lucem exiit.

Quod enim primum ad Orphanotropheum attinet, in hoc ipso, velut ex praefatione dicti libelli epitomae (Anglice abstract) praemissa adparet, trecenti et sexaginta homines eo tempore victu fructi sunt, nunc vero eorum numerus ultra centum adauctus est, quibus et prandium et coena quotidie paratur. Sunt nimirum hodie centum pueri orphani, puellae triginta, tirones in officina typographica, libraria, pharmaceutica, cum famulis ancillisque oeconomis ministrantibus viginti quatuor; quibus omnibus praeter prandium et coenam ientaculum quoque et amictus necessarius porrigitur. Caeteri convictores sunt partim theologiae studiosi, partim etiam scholares, qui scholas orphanotrophei frequentant. Ex his centum et quinquaginta theologiae studiosos ordinarios convictores dicimus, quod, cum in convictum recipiuntur, certus ipsis locus in mensis assignetur, ea quidem lege, ut ad testandum gratum animum singulis diebus duas quisque horas vel iuventutem in scholis nostris doceant, vel sermones publice habitos aliaque ad publicam utilitatem spectantia describant.***) Ex his duodecim sumptibus Anglicanis hucusque aluntur, quos Annam, Magnae Britanniae reginam gloriosissimae memoriae, suppeditasse post ipsius obitum demum rescivimus. Pro hoc autem beneficio ad discendam docendamque linguam Anglicanam et vertendos libros Anglicanos in nostram Germanicam et Germanicos in vestram Anglicanam obligati sunt.***)) Unde iste convictus et societas nomen Mensae Anglica-

*) Indicatur liber, cui inscriptum est: *die Fussstapfen des noch lebenden und waltenden liebevollen und getreuen Gottes* cet. editus inde ab anno 1701. Interpretationem Anglicam edidit A. G. Boehme Londini a. 1705, idemque sequenti anno epitomen adiecit, cui titulus est: *Pietas Hallensis: or, an abstract of the marvellous footsteps of divine providence.*

**) Pertinet ad contiones sacras, lectiones paraeneticas, scholas professorum, quas studiosi adulescentes alius alium excipientes commentariis mandabant. Hinc ingentia illa volumina, quae in bibliotheca nostra servantur. Inspector singularis praefectus erat illis scribarum decuriis.

***)) Eius officii nullum praeterea vestigium deprehendi.

nae sortita est. Reliqui theologiae studiosi et scholares extraordinarii appellantur, qui circa meridiem paulo vilioribus, quam isti, ad explendam tamen famem sufficientibus cibis pascuntur.*) Horum in numero non iidem quotidie sunt, sed illi dumtaxat, qui, cum in orphanotropheo prandere volunt, hora matutina septima nomina sua certo theologiae candidato profitentur, id quod omnibus omnino theologiae studiosis, nisi quis forte malae famae sit, licitum est. Unoquoque autem die pro centum et quadraginta quatuor victus paratur: quem numerum qui excedunt, inter primos sequentis diei convictores referuntur. Ita fit, ut pauperes quique si non omnibus, plerisque tamen diebus prandium idque prorsus gratuitum habeant. Pro hoc ipso enim hi convictores extraordinarii ad nullum plane officium praestandum obstricti sunt. Sub vesperam ex iisdem theologiae studiosis quadraginta quatuor, ex scholaribus autem centum ad orphanotrophei mensas itidem admittuntur, hoc tamen discrimine, ut omnes tunc habeant locum certum ac ordinarium, pro quo studiosi (scholares et hic plane gratis recipiuntur) unam quotidie horam vel pueris instituendis vel certo penso describendo impendere debent. Quamquam autem in tanta convictorum multitudine quotidie plures vel pauciores desiderari solent, qui vel ob morbum vel iter vel alias ob causas praesto non sunt, nihilominus tamen omni tempore pro completo convictorum coetu cibi praeparantur. In absentium ergo loca, sive isti fuerint ordinarii sive extraordinarii in coena certum locum habentes, ex expectantibus tot substituantur, quot sedes vacant. Expectantes vero eos appellamus, qui impetrata a nobis venia ad fores coenaculi praestolantur absentium vices expleturi. Horum omnium (qui in praesenti circa meridiem sunt quinquaginta studiosi, sub vesperam autem centum et sedecim, et scholares septuaginta duo) nomina certae schedulae inscripta exstant. Quam primum ergo de vacantibus quibusdam locis compertum est, illi triclinium intrant, quos eo tempore ordo tangit, id quod e publica nominum recitatione quivis facile intelligit. Discedente uno alterove ordinario in eorum locum illi theologiae studiosi ex extraordinariis et expectantibus convictoribus surrogantur, quorum de industria in litterarum et pietatis studio prae reliquis ex inspectoris mensarum vel alius cuiusdam fide digni commendatione nobis innotuit.

Cum vero hoc institutum, ut ex hactenus dictis liquet, ad eos tantum attineat, qui ipsi praesentes adeoque sano corpore sunt, ut accedere in orphanotropheum ad cibos capiendos possint, paucis adhuc indicabo, quae divinae providentiae auspiciis in aegrotantium commoditatem accesserint.

Horum quidem iam ab initio ratio a nobis semper est habita, nunc autem multo melior haberi potest. Empta nimirum a nobis est iam anno 1703**) vinea, non procul ab orphanotropheo in aperto campo sita, cuius in anteriore parte domus erat, quam anno 1708 aegrotantium usui accommodandam curavimus, et nunc Nosocomium appellamus. Si quis ergo ex pueris nostris orphanis in morbum incidit, ex orphanotropheo in has aedes deportatur, et quotidie ab ordinario medico visitur: medicamenta necessaria ex medici praescripto applicantur cibique salubriores, si quos aegrotus capere potest, praeparantur. Adest et femina praesto, quae aegrotis ministret. Theologiae studiosi et scholarum nostrarum alumni, de quorum egestate nobis constat, iisdem conditionibus recipiuntur. Immo nonnumquam peregrini opificum administri hoc beneficio frui sunt et hac ratione convalescerunt, quibus alias ob summam egestatem et miseriam, in qua a magistris suis et reliquis hominibus deserti decubuerunt, pereundum fuisset; qui ipsi deinceps prae caeteris grato

*) Praeter panem et cerevisiam viliores apponebantur iis olera tantum, caro numquam. Anno 1702 extraordinaria illa mensa extructa est in eo auditorio, quod nunc tenent quartani scholae latinae, postea in cenaculum commune translata.

**) Quod in apographo scriptum est 1713, correxi, nam vinea Pohlmanniana empta est d. 14. m. Augusti a. 1703.

animo collata in se beneficia agnoverunt. In his aedibus veteranus quidam theologiae studiosus certum conclave habitat, cui negotium datum est, ut aegrotantes inspectet, cum ipsis oret ac cantet, et quae singulis diebus contingunt notatu digna certo libro inscribat. Certus autem eorum, qui hic sustentantur atque curantur, numerus statui non potest. Quo plures autem adsunt, eo maior est illo tempore convictorum numerus: si quidem horum aegrotantium locum, quem quisque in orphanotrophei triclinio habet, non vacare, sed ab exspectantibus, ut paulo ante indicatum est, occupari sinimus. Caeterum iis scholarum nostrarum alumnis, qui parentum suorum sumptibus apud nos aluntur, peculiare Nosocomium est, in quo aegrotantes curantur. Puellae etiam orphanae in suis, quas habitant, aedibus certum conclave habent aegrotis destinatum.

Haec sunt, quae de externa pauperum in orphanotropheo nostro sustentatione scribi oportere indicavi. Cuius quidem divini beneficii tanta omnino magnitudo est, ut paternam summi numinis providentiam, quae in eo sese prodit, admirari potius quam penitus cognoscere mecum Deum timentes quique possint.

Non autem in his externis augendis divina providentia substitit, sed in spiritualibus etiam et ad animorum culturam spectantibus beneficiis multo illustrior facta est. Schola enim orphanotrophei, in qua iuventus ad vivam Christi cognitionem, partim etiam simul ad litterarum studia eruditur, ita adaucta est, ut si hodiernum discentium praecipientiumque numerum cum eo, quem supra dicto tempore habuit, comparaveris, ingentem accessionem facile sis animadversurus. In germanica enim schola (quae ita a nobis dicitur, ut distinguatur ab ea, in qua linguae peregrinae et disciplinae docentur quamque a potioribus lectionibus latinam denominamus et post paulo delineabimus) nunc per classes triginta duas una cum orphanis supra nominatis alii etiam pueri puellaeque plus minusve mille sexcenti ab octoginta sex praeceptoribus in praecipuis fidei Christianae capitibus nec non in calligraphia et arithmetica, et quidem plerique gratis, reliqui autem pro exiguo admodum didactro instituuntur. Hanc scholam inspectat quidam verbi divini minister,*), qui in hoc negotio ex praeceptoribus senioribus duos sibi ministros adoptavit. In latina schola lingua latina per octo, graeca vero et hebraica per sex ordines docetur. Praeterea theologia, historia, geographia, oratoria, logica, musica vocalis, calligraphia, arithmetica et matheseos rudimenta inculcantur. Discipuli in hac schola hoc tempore sunt amplius trecenti, quos inter ex ipsis etiam orphanis nostris illi cooptantur, quibus feliciter ingenium divinitus datum est. Caeteri partim sunt cives Hallenses, partim peregrini, non tantum ex plerisque Germaniae nostrae provinciis huc vel missi vel profecti, sed exteri quoque, Britanni, Batavi, Helvetii, Hungari, Sueci, Livoni, Poloni alique. Quorum itidem plerique gratuita institutione fruuntur, caeterorum quisque sex thaleros (quorum quinque libram Anglicanam unam fere aequant) didactri annui loco solvunt. Praeceptores in hac schola sunt viginti sex, inspectores duo; nimirum supra dictus verbi divini minister et quidam theologiae candidatus.**)

Quatuor quotannis utriusque scholae, germanicae videlicet et latinae, lustrationes in publico orphanotrophei auditorio habentur, quibus praeter eos, qui ex professoribus, senatoribus, ecclesiae ministris et civibus litteratis Hallensibus invitati comparent, studiosis quibuscumque interesse licet. Finita quaque lustratione alumni omnes a praeceptoribus suis in auditorium modo dictum deducun-

*) M. Iustinus Toellner, Geranus, a. 1682. verbi divini minister factus Panitzii viro prope Lipsiam sito. Quo munere cum abdicare se coactus esset, a Franckio a. 1697 Halam vocatus et scholis universis praepositus est. V. Dreyhaupt. II. p. 739.

**) M. Georgius Beiche, hinc a Calbensibus arcessitus ad scholam regendam, post diaconus in eodem oppido factus. Mortuus est a. 1730. Ab anno 1704 usque ad mensem Octobrem 1709 praeceptoris munere in paedagogio regio functus est.

tur, ibique ad gratam collatorum in se divinatorum beneficiorum agnitionem, ad industriam in discendo, ad obedientiam erga magistros ac serium pietatis studium sermone publico a me excitantur. Quo facto libelli eius modi fere, ut Tui ad nos missi, et similiae vel spirae,*) pruna, poma aliave id genus esculenta, quae praesens anni tempus exhibet, singulis a me et duobus inspectoribus distribuuntur. Quibus munusculis instructi laeti hilaresque, parvuli imprimis, domum se recipiunt. Alio die praeceptores universi convocantur, quos ad diligentiam fidelitatemque in officio suo, circumspersionem in quotidiana cum discipulis consuetudine, prudentiam in reprehensionibus et castigationibus, imprimis vero ad sincerum Dei timorem et preces, sine quibus labor eorum irritus foret, exhortor.

Augescentibus autem in orphanotropheo convictoribus ac in schola eius utraque alumnis spatium deesse coepit. Hinc anno 1709 pro puellarum orphanarum habitaculo earumque ac caeterarum ex urbe Hala et suburbiis huc confluentium scholis peculiarem domum, pedes sexaginta longam, triginta quatuor latam**) et tres contignationes altam exstruere necesse fuit. Qua occupata***) etsi in prioribus aedibus non mediocriter spatium luerati nobis videbatur, nihilo tamen secius parvo interiecto tempore denuo in angustias redacti de tentoriis nostris latius extendendis cogitare debebamus. Erant in orphanotropheo tria spatiosiora conclavia, quorum in uno theologiae studiosis collegia et per hebdomadam duabus horis sermones publici utriusque sexus hominibus, huc tamquam ad publicum oratorium aut templum sponte commeantibus, a me habebantur: in duobus reliquis convictores coenabant. Deficiente ergo scholis habendis spatio adhuc alias aedes aedificare animum induximus, ut auditorio illo coenaculoque ex anterioribus aedibus in hasce novas translato maius spatium lucraremur. Huius domus anno 1710 exstrui coepta†) transactoque biennio perfectae longitudo ducentis, latitudo quadraginta pedibus constat; altitudo autem, etsi cum anterioris sic dicti orphanotrophei, cuius dextro lateri annexa est, altitudine ubique convenit, ex parte tamen duabus tantum, ex parte autem quatuor contignationibus absolvitur. In inferiore aedium parte dimidia coenaculum est, centum pedes longum, latitudine eadem, qua totum aedificium; altitudine autem viginti pedum, tanta fere, quantam duae alioquin contignationes habere solent: idque ideo, ut ciborum vapores eo melius dispelli possint nec convictores inter comedendum incommodent, quippe qui universi, quos supra recensuimus (si a puellis orphanis ancillisque, utpote quibus peculiare triclinium est, discesseris), hoc conclavi congregati simul accumbunt. Huic coenaculo in altera parte dimidia proxima est culina, officina pistoria aliaque conclavia usibus oeconomicis accommodata. In secunda aedium parte superiore reperitur auditorium, in quo lectiones theologiae et publicae adhortationes, de quibus diximus supra, habentur. Aequale latum est ac modo dictum coenaculum, octo autem pedes illo altius et quinquaginta longius, adeoque tres totius aedificii partes quadrantes absolvit, omnesque capit scholarum nostrarum alumnos et praeceptores, quorum sunt duo millia et amplius, qui post lustrationes scholarum publicas, quemadmodum modo diximus, in eo simul congregari solent. Reliqua huius aedificii conclavia praeter alios quidam pueri Anglicani tenent, qui partim orphanotrophei, partim Paedagogii Regii (de quo locuturi sumus infra) scholas frequentant,††) atque hinc ista aedium regio *das Engländische Haus*,†††) id est domus Anglicana appellatur.

*) Placentae genus, Romanis non incognitum (Cato de re rust. 77), nostratibus celebratissimum.

**) Est illud ex veteri Halensis mensurae modo constitutum; hodie sunt quinquaginta quatuor et triginta unus pedes. Habitant in ea nunc scholarum germanicarum inspectores.

***) Die 9. m. Maii a. 1709.

†) Una domus, quam Franckius cogitavit, hodie in duas diiuncta est.

††) Qui primi ex Britannia huc missi sunt pueri quattuor, d. 12. m. Decembris 1706 in scholam latinam recepti sunt.

†††) Prisca illa forma et apud nostros et in communi sermone vetustate abolita est.

Auditorium pristinum et duo coenacula in anteriore orphanotropheo partim scholis habendis, partim locandae Bibliothecae aptata sunt, quae quorundam moribundorum donationibus testamentariis ad aliquot voluminum millia excrevit, et nunc quatuor quotidie horas studiosae iuventuti patet.

Iam quidem dominus ita nobis habitacula dilataverat, ut discipuli haberent, ubi ad arripienda pietatis et bonarum litterarum studia convenirent: deerant autem adhuc musea et cubicula, in quibus illi, qui ex peregrinis locis huc convolant, studia sua privatim tractare et dormire possent. Dispersi erant scholares per Glaucham (quod est suburbii nomen, quo habitamus, moenibus civitatis Halae contigui) in diversis et partim ab orphanotropheo remotioribus aedibus; unde non exigua non tantum incommoda, sed damna etiam ad illos redundabant. Quibus igitur cum mederi cupereamus, non alia via nobis ineunda videbatur, quam ut in eorum gratiam peculiarem etiam domum curaremus exstruendam. Hoc consilium, quod anno superiore cepimus, Deus Opt. Max. ita secundavit, ut eo usque iam perfecta sit, ut proximo vere ineunte occupari a dictis scholaribus possit. In hoc aedificio scholares aliquot eodem contubernio iungentur, quibus (veluti iam inde ab initio scholae factum est) ex praeceptoribus unus praeficietur, qui tempore a lectionibus publicis (quae, ut paulo ante meminimus, in aedibus orphanotrophei habentur) vacuo eorum vitam et mores inspectet, studia dirigat ac hora matutina quinta, ubi e somno expergiscuntur, et nona vespertina, antequam ad lectum sese conferant, Scripturam Sacram cum ipsis tractet precibusque fundendis eos praeceat.*) Et cum ex his pueris adolescentibus multi parentum suorum sumptibus hic vivant, certus oeconomus, non in orphanotropheo, sed alia quadam domo in suburbio nostro constitutus est, qui statuto pretio victum ipsis curet: qua ex re si quid lucri existit, non ad orphanotropheum, sed ad ipsum oeconomum redit. In novis modo dictis et vere proximo occupandis aedibus huic oeconomus triclinia, culina aliaque ad hoc negotium necessaria conclavia attribuentur. Atque ita adolescentes eo commodius in posterum et habitabunt et coenabunt. Reliqui pauperiores mensa extraordinaria in orphanotropheo, ut iam supra [p. 2.] monuimus, gratis fruuntur.

Per aestivos et auctumnos decurrentis huius anni menses in exstruendis duabus adhuc aliis domibus occupati fuimus, quarum altera iuxta dextrum, altera vero ad sinistram modo dictarum aedium latus erecta est. Tria ista aedificia ita inter se nexa longa sunt quadrigentos, lata autem quadraginta pedes**) et quinque contignationes alta; atque e longinquo spectantibus una quasi domus videntur. De fine ac usu utriusque recentioris domus haec cognosce. Diximus supra, quod studiosi theologiae ordinaria mensa in orphanotropheo fruenter duas quisque horas quotidie iuventutem formare ex officio teneantur. Quum autem multi ex scholis inferioribus in academiam nostram Fridericianam perveniant, humanioribus, ut vocantur, studiis vel ipsi non satis imbuti, vel facili methodo ea aliis tradere nescientes, in adoptandis praeceptoribus magna nobis difficultas saepissime obiecta fuit. Si quos idoneos forsitan nacti aliquamdiu habuimus, vel a parentibus domum revocati, vel a patronis ad officium publicum postulati sunt; atque ita nos in pristinam difficultatem denuo implicati fuimus. Qua igitur ut nos liberaremus, iam ante aliquot annos Deo adiuvante certum praeceptorum seminarium constituimus, in quod nonnullos theologiae cultores adscivimus eum in finem, ut per integrum biennium ad docendas in orphanotropheo et Paedagogio Regio meliores litteras praepararentur, atque sic praeparati tres minimum annos scholis nostris operam suam

*) Scribendum erat: precesque fundendas eis praeceat, vel ex prisca consuetudine comicorum poetarum: precibusque fundendis praeceat.

**) Nostrae mensurae pedes sunt 342 in longitudinem, 36 in latitudinem.

addicerent. Prosperavit Deus illud quoque consilium, ut ex hoc seminario non pauci prodierint, qui multo cum fructu studiosae iuventuti praeferuerunt et partim adhuc praesunt. Neque vero ad nostras tantummodo scholas, sed ad alia quoque gymnasia et ludos litterarios intra et extra Germaniae fines dicti seminarii usus redundavit. Saepissime enim ex nostris institutis praeceptores domestici et publici a patronis petuntur, a nobis vero, quoad fieri potest, promississime mittuntur. Unde fit, ut, qui hic ex usu iam habitum docendi sibi acquisivere, alibi locorum eo maiori cum emolumento atque adplausu iuventuti praecipiant. At vero cum consuetus studiosorum in hoc seminario numerus exiguus hucusque fuerit adeoque vix nostris scholis suffecerit, eorum numerum non mediocriter augere decrevimus. Quorum igitur in studia ac vitam ut eo melius inspicere ac inquiri possit, ex his illi, quorum consulendum est egestati, aut quorum saltem id fert reliqua vitae conditio, alterutra domo iunguntur. In alteram domum itidem insignem studiosorum numerum adsciscere animus est, ut linguis studiisque sacris, in primis etiam exercitiis catecheticis, ad quae in scholis nostris germanicis occasio ipsis praebebitur, ad functiones ministerii ecclesiastici, moderantibus quibusdam inspectoribus, sese praeparent.*) In ipsa quidem academia nos theologiae professores hunc scopum nobis propositum ex officio habemus, ut theologiae studiosos ad munera ecclesiastica praeparemus: nec defuerunt umquam ex auditoribus nostris, quos auxiliante divina gratia ad istum scopum feliciter perduximus. Enimvero cum theologiae studiosorum in Germania nostra ea sit conditio, ut plerique propter egestatem in academiis diutius subsistere haud queant, sed ante, quam studia eorum maturitatem consecuta sunt, discedere cogantur, huic incommodo hac ratione occurrere cupimus, dum certum numerum ex eiusmodi studiosis, qui aliquamdiu theologiae operam iam dederunt diligentiamque suam et vitae probitatem nobis testatam fecerunt, ad hoc institutum seligere, illisque studia in hac academia longius prosequendi subsidia procurare animum induximus. Ita per divinam gratiam futurum esse confidimus, ut omni tempore tales in promptu habeamus sacri ministerii ac muneris scholastici candidatos, qui Deo occasionem offerente tamquam fidi operarii in messem extrudi possint.

Huic instituto simile est aliud, quod iam ante hos duodecim et quod excurrit annos**) coepit et Collegium Orientale Theologicum dicitur. In hoc ipsum initio duodecim theologiae studiosi***) selectioribus ingeniis praediti, qui aliquot iam annis in litterarum studia ac verae pietatis exercitium incubuerant, cooptabantur, eo quidem consilio, ut theologiam et linguas orientales ex ordinis theologici praescripto ita excolerent, ut non tantum alios theologiae studiosos linguas et disciplinas docere possent, sed digni quoque evaderent, quibus maxime ardua munera ecclesiastica et academica aliquando demandarentur. In orphanotropheo primum musea habuerunt sua, paullo autem post ob conclavium penuriam in ipsa urbe Hala conductas a nobis aedes habitare coeperunt.†) Studia sua sub Ioannis Heinrichi Michaelis, Graecae et O. O. L. L. prof. publici ordinarii, directione, inspectante simul Ioanne Tribbechovio, philosophiae tum temporis professore extraordinario et postea Georgii, serenissimi principis Danici, in Anglia concionatore aulico, iam beate

*) Quod voluit Franckius, numquam consecutus est. Quotus enim quisque illa aetate philologiae studium a theologia seiunxit et discrimen utriusque artis fecit. Centum annis post cum ego ex schola latina abirem inter philologiae studiosos nomen professurus, aegre id tulit scholae rector et theologiam sua sponte substituit.

**) Constitutum est d. 1. m. Martii 1702.

***) Hinc apparet non vere Dreyhauptium T. II. p. 148 tradidisse, ab initio decem tantum studiosos iuvenes ei collegio adscriptos fuisse. A. 1706 fuerunt decem (cf. Vestigiorum contin. II. p. 5), quorum numerus sequenti anno imminutus est (cf. Vestig. contin. III. p. 6).

†) Anno 1703 conductae sunt duae contignationes in aedibus Mateweisianis recens magnifice exstructis, quae nostra memoria Mekelii in possessionem venerunt.

defuncto, excoluerunt.*) Accesserunt huc circa illud tempus**) studiorum causa quinque iuvenes, natione et patria Graeci, qui quum itidem orphanotrophei sumptibus hic alerentur, isti coetui iungebantur. Hinc quidam ex nostris occasione addiscendae Graecae linguae hodiernae vulgaris, quam *ῥωμαϊκὴν* seu *πῆλιν* illi vocant, opportune sibi oblata sedulo usi sunt. In primis autem b. Tribbechovius intra aliquot mensium spatium tantam huius linguae sibi acquisivit facultatem, ut non modo satis scite loqueretur, sed Grammaticam etiam (cui Anastasius Michael Macedo, reliquorum Graecorum natu quidem minimus, sed ingenio prae caeteris maxime pollens, epistolam bene longam subiunxit) ederet aliosque huius linguae cupidos doceret. Ex Graecis autem tres in lingua Graeca vetusta (*γραμματικὴ*) illis dicta), quippe quam isti ignorabant, instituebantur; in Latinam vero ignotam omnibus omnes incumbere necesse habebant, donec ea ipsa mediocriter comprehensa publicas lectiones frequentare possent. Interim collegii huius alumni ordinarii non tantum aliis theologiae cultoribus linguas orientales et disciplinas philosophicas praelegerunt, sed et in adornanda accuratissima ac notis criticis locisque parallelis accommodatissimis refertissima bibliorum Hebraeorum editione, professore Michaelis moderante, fuerunt occupati. Quae quidem biblia iam pridem sumptibus orphanotrophei imprimi coepta, at ob varia obstacula nondum plane excusa sunt: fore tamen speramus, ut intra anni spatium penitus absolvantur. Quibus editis ad studium biblicum Hebraicum digne tractandum non exiguam inde faciem theologiae cultoribus praelatum iri, adeoque huius collegii usum in ecclesia Dei vel inde uberrimum futurum confidimus. Accedit, quod istorum alumnorum plerique***) iam aliquot annis ecclesiae Dei partim in Germania nostra, partim in exteris regionibus publica munera obeundo utilem operam praestiterunt. Ex quibus praecipue nominare placet Christianum Benedictum Michaelis, supra dicti professoris agnatum, qui, postquam de studiosa iuventute pluribus annis Graeca, Hebraica, Rabbinica, Syriaca, Arabica, Aethiopica docendo optime meritus fuit, a serenissimo rege nostro professor philosophiae ordinarius constitutus est, et cum cognato suo (qui ex anno 1709 theologiae quoque professor ordinarius est) in perficiendo opere biblico potissimum nunc desudat. Etsi autem, posteaquam ante aliquot menses ultimus huius collegii alumnus ad officium publicum promotus fuit, certis de causis novos in illud nondum adscivimus,†) suo tamen, et forsitan Deo ita adnuente, primo quoque tempore alios cooptare cogitamus.

Habes, vir maxime reverende, pleraque orphanotrophei nostri instituta: quae cum ad tot pauperum minorum adultiorumque sustentationem et institutionem in cognitione et timore Domini ac bonis artibus, adeoque ad divinae gloriae amplificationem spectent, omnes omnino homines hanc mirificam caelestis patris providentiam benignitatemque submisso animo venerari merito debebant. At vero cum plerique caeca, multi etiam malitiosa ac invida mente laborent, mirum non est, quod ab illis haec omnia parvi fiant, ab his autem contemnantur et tamquam noxia damnentur. Inter ipsos verbi divini ministros, pro dolor! non defuerunt, qui verbis et scri-

*) Erravit Franckius, nam a. 1702 Tribbechovius Gothanus fuit facultatis theologiae adiunctus; professor factus est demum a. 1705. Is cum ex Britannia revertisset, praepositus est coenobio b. V. Magdeburgensi, sed antequam novum munus suscepit, diem extremum obiit Tennstadii apud Thuringos d. 31. m. Martii a. 1712.

**) Anno 1704.

***) Iuvat ex eo numero commemorare Ioannem Gustavum Reinbeckium Cellensem, amplissimis muneribus ecclesiasticis Berolini perfunctum et singulari Friderici Guilelmi I. et Friderici Magni regum Prussicorum gratia ornatum, qui effecit ut Chr. Wolffius Halam revocaretur, et Abrahamum Kallium Flensburgensem, cuius disp. de codicibus MSS. Biblico-Hebraicis, maxime Erfurtensibus Halae a. 1706 edita est.

†) Ex illis verbis quo iure Schulzius in libro, cui inscriptum est *Franckens Stiftungen* Vol. I. p. 233, collegit anno 1714 collegii sodales in criticis studiis sedulo elaborasse, ego non adsequor.

ptionibus acerbissimis haec divinae providentiae monumenta perstringere non erubuerunt. Quibus ad vindicandam, non nostram (quippe cui haud velificamur), sed summi numinis gloriam scriptis apologeticis respondendum aliquoties fuit.*) Qua occasione praeter horum maledicorum destinationem et opinionem factum est, ut multis hominibus de his institutis eorumque vera ratione innotuerit, quibus alioquin illa plane ignota fuerant et forte mansissent. Hinc multi gaudium, quod ex horum institutorum descriptione et defensione ceperant, testaturi dona sua piis precibus ac votis quasi involuta, multi etiam liberos suos in scholis nostris educandos miserunt. Nec pauci haec instituta ipsis oculis suis contemplatum ex ipsis etiam remotioribus locis accesserunt, praesentesque divinam benignitatem admirati nobiscum hilari ore laudarunt. Ita Deus impios inimicorum nostrorum conatus non tantum irritos reddidit, sed in operis sui emolumentum et amplificationem cedere iussit. Cuius rei adhuc illustre exemplum narrabo.

Cum anno superiore ineunte Fridericus, rex noster clementissimus, cuius sub sceptro instituta nostra inchoata et eo usque non sine ipsius voluptate continuata fuerant, diem obiret supremum et filius unicus Fridericus Guilielmus ipsi in regno succederet, malevoli quique de nostris institutis nunc actum esse clamitabant, ante victoriam quasi triumphantes. Enimvero etsi ex quorundam bonorum etiam narratione iam antea nobis innotuerat principem quorundam malevolorum criminationibus inductum minus clementer de nobis et institutis nostris sentire, tamen per Dei gratiam, qua confidebamus, plane aliter evenit ac plerique amici pariter ac inimici cogitaverant. Pervenerat hic novus rex noster paulo post quam regnum suum erat auspicatus, prope Halam milites suos ex Italia redeuntes lustratum. Quo facto cum in urbem accessit,**) illico fama percrebuit regem orphanotropheum quoque lustrare velle. Cuius consilii nos certiores facti ad recipiendum regem nos comparabamus.***) Instabat meridies, ubi e scholis pueri et puellae caeterique scholares dimitti et convictores ad prandium hinc inde advolare solent. Ex istis igitur eos, qui alias prandendi causa se domum contulissent, in scholis ad regis adventum a praeceptoribus detineri, caeteros vero cum studiosis reliquis suum quemque locum in triclinio occupare iussimus. Accessit igitur Rex, Leopoldo principe Anhaltino nec non praeside Hallensi†) et aliquot praefectis bellicis stipatus. Submississime illico a nobis exceptus et per anteriores aedes in novas ad triclinium, in quo supra recensiti studiosi et scholares ac pueri orphani accumbentes prandebant, ductus est. Substitit hic aliquantum in vestibulo ante fenestras, quae in spectantium, qui quotidie frequentes adsunt, gratiam ita aptatae sunt, ut universos convictores obtutui suo obiectos habeant. Per has ipsas accumbentes paulo accuratius contemplatus, de orphanorum educatione quaedam aliaque huc facientia ex me quaerebat: ad quae cum respondissem, et vultu et ipsis verbis sibi ea omnia valde probari significavit. Hinc conscendimus una in auditorium superius spatiosum, de cuius usu itidem varia interrogavit, et cum a me percepisset collegia studiosis et adhortationes populo in eo ipso haberi, intellexissetque, quo modo et quo fine illae fierent, non obscure innuit sibi de his conventibus prorsus alia fuisse relata; quae ubi nunc ita, quemadmodum ipsi exposueram, se habere

*) Pertinet ad duos libros a. 1709 et 1710 editos, quibus inscriptum est *Gründliche Beantwortung der unglimplichen Censur et Abgenöthigte Vertheidigung der gründlichen Beantwortung*. Cf. progr. schol. lat. a. 1862. p. 5.

**) D. 12. m. Aprilis a. 1713.

***) Non recte igitur Niemeyerus (*Frankens Stift. II. p. 30*) narrat praeter expectationem regem venisse. Copiosam aequalis hominis narrationem de ea re inserui Actis diurnis Hal. a. 1863. nr. 33. 36. 37.

†) Fuit vir nobilissimus Dankelmannus, apud quem rex eo die cenavit. Eundem antemeridiano tempore negotiis publicis occupatum esse, id quod vulgo narratur, non probabile est, quia paulo ante meridiem Wettino oppidulo Halam se contulit, illico Berolinum hinc profecturus.

cognovit, non minus sibi placere testatus est. Habitant proxime ad ostium, per quod ex hoc auditorio descendendum erat, pueri Anglicani, qui una cum theologiae studiosis Anglicanis e museo suo ad spectandum regem egressi fuerant. Hos rex conspiciens, quinam essent, interrogavit, acceptoque a nobis responso humanissime eos allocutus est. Inde progressi in puellarum aedes devenimus, in quibus miratus est tantam praesentium puellarum multitudinem. Spectatis deinceps puellis orphanis eo ipso tempore etiam praeidentibus, in anteriores aedes regem reduximus, reliqua ipsi monstraturi. Homines, qui spectatum confluerant, quorum ingens erat multitudo, ex ipso regis me nonnumquam paulo longius, prout res postulabat, disserentem patientissime audientis, et humanissime mecum in pergula, quae est in anteriorum aedium tecto, colloquentis vultu et gestibus augurati fuerant, non fore talem huius lustrationis exitum, qualem quidem ipsi vel exoptaverant vel metuerant. Neque illos augurium fefellit. Praesidium enim rex suum et privilegiorum, quae ab eius parente impetrata ante pedes ipsius deposueram, confirmationem verbis singularibus pollicebatur, eamque paulo post, quam Berolinum redierat, nobis cum aliquo eorum augmento impertivit. Quae inexpectata regis nostri gratia, cuius fama mox non Germaniam tantum, sed alias quoque Europae regiones permeavit, quantum inimicis et osoribus nostris dolorem attulerit, quantae autem nobis et Deum timentibus omnibus laetitiae exstiterit, facile poteris, vir maxime reverende, iudicare. Imprimis vero hoc ipsum ad laudandam Dei paternam providentiam animos nostros mirum quantum excitavit. Haec enim divina providentia fuit, quae defuncti regis praesidium his institutis adversus omnes malorum machinationes conservavit et nunc potentissimi filii successoris animum ad ea tuenda flexit. Immo vero haec una fuit, qua confisi prima eorum fundamenta iecimus, et quae in hunc usque diem sumptus nobis necessarios largita est, quos et in posterum eam largituram esse firmiter sumus persuasi.

Neque enim Te, vir maxime reverende, existimare velim, quod orphanotropheum nostrum nunc demum tantis bonis instructum sit, ut certis et ad quotidiana expensa sufficientibus redditibus niti possimus. Etsi enim officina libraria (cui ministrat typographica) et pharmaceutica, regis privilegiis donatae ac in inferioribus orphanotrophei regionibus sitae, ex aliquot annorum serie, posteaquam nimirum ex parvis admodum initiis paulatim auctiores evaserunt (quod itidem divinae providentiae opus est), suum quaeque commodum his institutis adferant, tantum tamen abest, ut ad omnes sumptus erogandos sufficiant, ut ne eos quidem, qui ad alimenta comparanda requiruntur, suppeditare penitus queant. Unde non secus ac in principio ad eandem caelestis patris mirificam providentiam nobis confugiendum est, et in posterum eo magis erit, quo maioribus subsidiis, institutis ita augescentibus, tum ad parandum victum et eo pertinentia alia, tum ad exstruenda et perficienda aedificia indigemus. Quae divina providentia sicut hucusque nobis aliisque piis conspicua fuit, ita eam multo adhuc illustriorem futuram nullo modo dubitamus. Hactenus de orphanotropheo. Restant nonnulla instituta alia, quae quamvis ad illud proprie non pertineant, nostrae tamen directioni non minus subsunt: de quibus nunc paulo strictius.

Paedagogium Regium, quo nomine schola illa, quam ditiorum parentum e. g. comitum, baronum, equitum, mercatorum aliorumque filii frequentant, ab ipso rege Friderico insignita fuit*), ini-

*) Noli cogitare paedagogii nomine scholam a rege insignitam esse: regia tantummodo dignitas regio privilegio debetur. Paedagogium quondam de munere et officio eorum servorum, qui apud Romanos pueris honestis comites ad omnes doctores adessent, usurpatum ac deinceps translatum est ad magisterium ipsum significandum. Dein formosi pueri et elegantes, qui turpissimae rei causa educabantur a Romanis ditioribus, paedagogia vocata sunt. Cf. Lipsius ad Tacit. Annal. XV, 69. Interpr. Plin. Epist. VII, 27. Suet. Ner. 28. Inde in aula imperatorum pueri nobiles, qui principi et ad mensam consistentes ministrarent et militarent, in paedagogiis alebantur et instituebantur. Hinc inepta ista suspicio nata est ex pueris paedagogianis facta esse recentiorum linguarum vocabula pae apud Fran-

tia sua ad annum superioris seculi nonagesimum quintum refert, parva admodum, ut caeterorum omnium, sed temporis successu ita adaucta, ut discipuli nunc sint fere centum, plerique peregrini et exteri. Hos ipsos moderantur praeceptores undeviginti, Inspector unus, Hieronymus Freyerus, qui quibusdam varii argumenti scriptis inclaruit.^{*)} Inter alia in usum Paedagogii et scholae latinae orphanotrophei selectissima poemata, ex veteribus et recentioribus poetis latinis a se collecta, edidit,^{**)} ex quibus studiosa iuventus sine animorum offensione poesin latinam addiscere potest. Nuperrime quoque colloquia Terentiana^{***)} „in quibus personas induxit fere ubique alias, sed sermone Terentiano ita inter se de rebus variis colloquentes, ut scriptoris huius verba sine ulla immutatione exhibeantur: aut si quid ad evitandam pudicarum aurium offensionem mutandum fuit vel de suo interiiciendum, hoc ex diverso statim typorum genere agnosci queat. Praeter haec ordine etiam, quem secutus est Freyerus, usus libelli redditur insignior: siquidem sola inscriptionis inspectio prima fronte indicat, unde singula deprompta sint. Ex quo simul hoc intelligitur, non modo ipsum Terentium auctorem citari, si quis ad hoc opusculum provocaverit, sed locum etiam auctoritatis designari, quum liber comoediae, sectio actui, scenae autem colloquium ubique respondeat. Quod consilium quantum a Schoneano instituto†) discrepet, perfacile ad iudicandum illis est, qui utrumque inter se laborem conferunt.“ Caeterum hoc Paedagogium eadem fata habuit, quae schola latina orphanotrophei. Alumni videlicet in civium Glauchensium aedibus dispersi contubernia habebant et auditoria, in quibus instituebantur. Augescente autem discentium numero necessitas nobis imponebatur in eorum usum amplam domum aedificandi. Anno igitur 1711. in horto spatioso, post orphanotrophei ternas novas aedes, quas supra [p. 6.] descripsimus, proxime sito et ad orphanotropheum spectante aedificium ab occasu ad ortum ducentos sedecim pedes longum, triginta quatuor latum et quinque contignationes altum, exstructum et anno superiore 1713. occupatum est. Ab anteriore parte, quae ad orphanotropheum vergit, duas habet alas, quarum altera quinquaginta duos pedes ad meridiem,

eos et Hispanos, paggio apud Italos. Pagii illi pueri iam media aetate dicti sunt, quod probabilius ad παιδῶν refertur. Scholae vero seculo sexto decimo eo nomine ornatae sunt partim apud Württembergenses et Hassos, veluti Casellis et Marburgi, partim apud Hannoveranos et Brunsvicenses, quorum Ilfeldense, Gottingense, Clausthalianum, Gandershemense paedagogia notissima sunt. Franekius idem nomen audiverat Erfordiae de schola in coenobio Augustinianorum constituta; quod ut in Halensem scholam deferretur, auctor videtur fuisse Freylinghusius, primus paedagogii inspector, cui ex patria urbe et puerili institutione obversata est: forma et constitutio reipublicae literariae in illustri Paedagogio Gandersheimense, cum lectionum ipsarum et doctrinae, tum gubernationis disciplinae scholasticae et oeconomiae rationem complectens, edita a. 1571. Hinc illud nomen arcessitum est, quod seculo duodevicesimo ab iis frequentari coeptum est qui scholas, ut dicebant, reformarent, velut, si discesseris a paedagogio Zuellichaviensi et collegio Fridericiano ad normam Halensem directis, Altonae, Bremae, Buetzovii, Esslingae, Giessae, Heidelbergae, Helmstadii, quo Gandershemense translatus est, Magdeburgi denique in coenobio beatae virginis et in coenobio Bergensi aliisque in oppidis.

*) Commemoranda est: Oratoria in tabulas compendiaras redacta, Halae 1711, et praeterea libelli aliquot scholis historicis et geographicis destinati. Fasciculum poematum graecorum ex antiquis et recentioribus poetis collectum postea edidit.

**) Est H. Freyeri fasciculus poematum latinorum ex optimis antiqui et recentioris aevi poetis collectus, cuius editio secunda incidit in a. 1726. Ac plures deinde secutae sunt.

***) Quae de libri consilio et forma narrantur, deprompta sunt ex Freyeri praefatione. Colloquia Terentiana edita sunt Halae 1714.

†) Corrige Schoneano. Significatur Terentius christianus s. comoediae sacrae sex a Corn. Schoneao stilo Terentiano conscriptae, quae Coloniae Agrippinae 1529 primum editae, dein Vitebergae 1599, Coloniae 1618 et 1620, Amstelodami 1646, Francofurti 1672 repetitae sunt. Nec minus ineptae sunt eae quam „parodiae in libros odarum et epodon Horatii rebus sacris maximam partem accommodatae a Davide Hoppio“ Stettini 1634, Brunsvigae 1668 1690, vel I. Oth. Maiani Horatius christianus, editus August. Vind. 1609 vel Probae Falconiae centones Vergiliani de fidei christianae mysteriis, quos Kromayerus illustravit Hal. 1719.

altera totidem pedes ad septemtrionem se extendit. Istam Inspector cum ministris famulantibus, hanc oeconomus unus tenet. A parte posteriore orientem versus elapsa aestate ala una eadem longitudine lateri septemtrionali addita est, quam alter oeconomus nuperrime occupavit. Alteri lateri ad meridiem proxime etiam, si Deo ita placuerit, alam adiungemus, quas aedes aegrotantium usui destinavimus, qui interea in ipsa maiore domo certa conclavia habent. Ad lectiones, quae in hoc Paedagogio tractantur, quod attinet, praeter eas, quas in schola latina orphanotrophei tradi diximus, hic quoque docetur lingua Gallica, geometria, physica, metaphysica, ethica, politica, genealogia, botanica, anatomia, astronomia et alia. Corporis etiam movendi et animi recreandi gratia proxima ante prandium hora in tornando, vitris poliendis aliisque huiusmodi exercitiis alumni instituuntur. Quater etiam per annum, perinde ac in scholis orphanotrophei fieri consuevit, lustratio publica habetur.

Quemadmodum igitur, ut meminimus, in hoc Paedagogio ditiorum parentum filii erudiuntur, ita quoque pro huius generis filiabus schola quaedam instituta est, quam *Gynaeceum* *) appellamus. In hoc puellae aliquot parentum suorum sumptibus in cognitione Dei, calligraphia, arithmetica, lingua Gallica aliisque rebus istum sexum ornantibus instituuntur, moderante et inspectante virgine Gallica non minus pia quam prudente. Hae vero puellae ab orphanotropheo et Paedagogio Regio quam longissime domicilio sunt remotae.

Huic instituto affine est aliquo modo aliud, quod itidem in sexus sequioris usum incepimus. Aliquot enim abhinc annis honestissima matrona, **) quae pro quibusdam virginibus adultioribus nobili genere natis certam foundationem, ut vocant, facere decreverat (quod consilium etiam post paulo in quadam Saxoniae civitate perfecit), suo ipsius instinctu ad nos quoque certam pecuniae summam misit, quam eundem in finem a nobis adhiberi cupiebat. Quod cum nos novum indicium,

*) *Gynaeceum* illud, quod Franckius in epistola ad Spenerum data p. 395 vocat *meine Frauen-Zimmer-Anstalt*, inchoatum est d. 25. m. Mâii 1698. Quae schola cum puellis ditiorum ac nobilium parentum informandis constituta esset, curam eius suscepit gallica virgo Ludovica Charbonet cum Susanna Baile († 1713). In duabus aedibus contiguas conclavia erant conducta, in quibus eae puellae et habitarent et docerentur. Earum numerus subinde ita auctus est, ut iam a. 1700 tredecim ex diversis urbibus huc missae adessent ac praeterea Halenses aliquot puellae institutioni interessent. In illis numerandae sunt quinque puellae Silesiatae, quibus educandis sumptus liberalissime praebuit vidua Liberi Baronis de Gersdorf pariter ac septem pueris e Silesia in orphanotropheum et in paedagogium receptis. Magistrorum munere functi sunt praeter Charbonettam, quae gallicam linguam docebat, studiosi aliquot iuvenes, inter quos Herrnschmidius maxime eminuit. Praeter eas artes, quas Franckius commemorat, graecam linguam docuit Balth. Parthenius. Musica ars non plane neglecta est, docuit eam Iuliana Patientia de Schulte, cuius est cantus nr. 648 in Freylinghusii collectione: *Wo ist mein Schätzlein, das ich liebe*. Ad animum exhilarandum sanitatemque firmandam concessum erat ut pila luderent puellae vel in triclinio. In scholis adesse solebant honestissimae virgines maturiores, ex quibus Roscia mortua est a. 1699, cuius in locum successit Martha Margaretha de Schoenberg ad sacra pentecostalia celebranda e Saxonia huc profecta. Rerum domesticarum curam suscepit vidua Crusii pastoris, quae antea aliquamdiu studiosorum iuvenum cenas apparaverat. Anno 1708 schola translata est in hospitium, quod ab „aurea corona“ nomen duxit, ibique mansit ad a. 1714. Quare a. 1709 nova incrementa cepit ita ut Franckius regia privilegia huic gynaeceo expetere animum induceret. Neque tamen prospere ea res cessit. In novis aedibus (quarum situm in suburbio Glauchensi nescio) anno 1714 instauravit scholam Charbonetta ac propterea edidit plagulam „*Bericht von der in Glaucha an Halle zur Erziehung junger Töchter befindlichen, und von dem Waysen-Hause daselbst dependirenden Anstalt, und denen ordinären Unkosten dabey, erteilet von Louise Charbonnet*“. Quae cum a. 1739 mortua esset, cognata eius Susanna Munier scholae continuandae consilium cepit idque exsecuta est usque ad sequentem annum, quo eam e vita excessisse constat. Copiosius haec narraui, quia ea, quae in progr. schol. lat. 1862 edito p. 41 proposui, non satis accurate scripta sunt.

**) Fuit vidua nobilissima de Gersdorf, quam una cum Libero Barone de Canstein Franckius viserat a. 1704. Eius consilio et auctoritate institutum illud Altenburgum translatum est. Pecunia, quam eadem Franckio dedit, alimentis puerorum et puellarum aliquot honestarum ex Silesia huc missarum destinata est.

quod Deus instituta nostra amplificatum iret, interpretaremur, isto aere commodam huic destinationi domum emimus. Interim hoc exemplo alia matrona excitata in eundem usum tantum pecuniae iam moribunda testamento legavit, quantum ad unius virginis sustentationem requireretur. Postea etiam Minister quidam regius itidem non mediocrem nummorum summam donavit, ex quo beneficio tres alumnae potissimam sustentationis suae partem habent.*) Adsunt praeterea nonnullae aliae virgines adultiores, quae suis ipsarum sumptibus iisdem in aedibus vivunt. Quas inter nonnumquam tales reperiuntur, quae quum vel propter pontificiorum, apud quos vixerunt, vexationes vel ob alia impedimenta pietatis studio domi suae ex animi sententia vacare non potuerint, a nobis petierunt, ut sibi hoc loco vivendi occasionem procurarem, ut ex verbi divini praedicatione, quam per Dei gratiam nossent hic esse uberrimam, animas suas aedificare possent. Praeter publicam autem, quam in templo Glauchensi et orphanotropheo habent, spirituales sui aedificationem duabus per hebdomadem horis privatim quoque a quodam pio verbi divini ministro ex sacris litteris instituuntur. Caeterum a regulis quasi monasticis omnibus sunt immunes et sua cuique libertas relinquitur.

Nec praetereunda fuerint duo Cherotrophea,**) in quibus aliquot pauperibus viduis a duobus patronis partim de tota sustentatione, partim de habitatione prospectum est, et a nobis de piis ad animarum suarum aedificationem facientibus exercitiis prospicitur.

Haec sunt, vir maxime reverende, instituta nostra, quorum usus ad eos, qui hoc ipso loco commorantur, potissimum spectant. Potissimum dico: nam alios quoque, qui quidem hic non degunt, istorum utilitatem participare vel ex iis, quae supra de diversorum collegiorum ratione narravimus, patet. Non desunt autem instituta alia, quae in eorum, qui hinc vel propius vel longius absunt, emolumentum praecipue cedunt. Ut ab externis iterum exordiar, beneficiorum, quae ex officina pharmaceutica, cuius iam ante fecimus mentionem, innumeris fere aegrotis divinitus obtigerunt, amplitudinem enarrare non sustineo. Certe hac in causa Dei providentia et benignitas tam mirabilis fuit quam in ulla alia. Dedit illa ante aliquot annos orphanotropheo nostro, accedente medicorum nostrorum opera, quaedam medicamenta, quorum efficacia primum quidem in ipsis institutis nostris, deinde vero in pluribus Germaniae et Europae nostrae locis prorsus singularis ac mirifica fuit et adhuc est,***) adeo, ut nunc in remotissimas terrae partes transmittantur. Accedit,

*) Illa est vidua nobilissimi viri de Lethmath, hic vir nobilis de Chalkowski Berolinensis regis (Prussici a consiliis intimis. Hic a. 1703 dedit 3000, illa 2000 imperiales. Franckius speravit (Vestig. contin. III. p. 79) illius post mortem 1500 imperiales hereditate se accepturum esse. Frustra. Omnino conventus ille virginum nobilium, cum pecunia deesset, non ad eam amplitudinem pervenit, quam Franckius speravit. Exemplum praeivit Godofredus de Iena, qui d. 1. m. Novembris 1702 in usum virginum nobilium reformatae confessionis talem conventum Halae condiderat conventualiumque necessitatibus liberalissime prospexerat.

**) *Χηροτροφείον* de domo viduis alendis destinata nemo quod sciam veterum dixit. Intellegendum est Cherotropheum Canstenianum, de quo Franckius in Vestig. p. 29. Continuat. I. p. 71. exposuit. Alterius Cherotrophii ibidem Contin. II. p. 19, III. p. 31 mentionem iniecit eiusque initium a. 1704 factum esse ait. Cuius cum nullum praetera indicium supersit, videtur cogitasse superiorem illum conventum, in quem non solum virgines bene et pudice eductae, sed etiam viduae recipi poterant.

***) Singularis in hac re cura fuit gentis Richteriae Soravia ad Nissum in inferiore Lusatia oriundae, potissimum Christiani Friderici Richteri, qui (mense Septembri 1676 natus) a. 1693 in hanc Fridericiam missus est ad sacrarum litterarum studia. Postquam in morbum gravissimum incidit, factum est ut eo liberatus ad medendi artem animum adpelleret. Quapropter I. Fr. Hofmanno et G. E. Stahlto totum se addixit et cum fratre Christiano Sigismundo chemiam maxime excoluit. Sub initium a. 1703 doctoris gradum et honores adeptus est, quamquam iam antea 1699 post fratris Christiani Alberti mortem medicus orphanotrophei factus erat. Huic viro medicamina illa, imprimis essentia dulcis, debentur, huius scriptis effectum est, ut ea maxime divulgarentur. Mortuus est d. 5. Octobris 1711 eiusque in locum successit frater Christianus Sigismundus († 1739). Libros has res illustrantes descripsi in progr. schol. lat. 1862. p. 47 — 49.

quod non tantum orphanotrophei nostri alumnis, sed pauperibus etiam quibusvis aliis in suburbio nostro et urbe Hala, quin et alibi locorum, si idoneo paupertatis testimonio instructi a nobis expetierint, gratuito dari iubeamus.

Maiora autem beneficia ea sunt, quae per officinam librariam quam plurimis hominibus a Deo conferuntur. Non dicam nunc de tot libris ad studia litteraria iuvanda hic excusis, quippe quorum utilitas externa tantum est, sed libet nunc eos, qui diviniore argumenti sunt, paucis tantum attingere. Sunt homines oppido multi, quos librorum de genuina veri Christianismi ratione agentium, qui orphanotrophei sumptibus editi sunt, lectione in meliorem viam reductos vel in eadem non mediocriter confirmatos esse rescivimus. Cuius modi exempla ex ipsa remotissima Siberia Suecorum, qui ibi captivi tenentur, ad nos datis litteris non sine ingenti laetitia nobis non ita pridem innotuere. Non ingratum Tibi fuerit, credo, hac de re nonnulla a me narrari accuratius. Anno 1706. Sueci, circumlatis in Polonia vicinisque regionibus aliquot annos armis victribus, in Saxonia irruptione facta per integrum fere annum substituerunt, ipso quidem rege in vico, aliquot horarum spatium ab urbe Hala dissito, commorante.*) E Saxonia deinceps in Poloniam reversi Moscoviam rege praeunte adire eique arma inferre moliti sunt. In extremis autem Ucraniae finibus ad oppidum Pultawam castris suis positus omnium rerum inopia afflicti cum magni ducis Moscoviae copiis undique circumfusus proelium committere necesse habuerunt. Quo in proelio paucis utrinque caesis Suecorum castra universa et copiae pleraeque in Rossorum venere potestatem. Accidit hoc Suecorum stupendum infortunium anno 1709. mense Iunio. Rex cum paucissimis suorum fuga salutem difficulter admodum adeptus in ditionem Turcarum se recepit ibique integrum lustrum et quod excurrit commoratus novissime elapsi Novembris die 22. in Pomeraniam rediit. Caeterum captis in dicto proelio Suecis in Moscoviam commigrandum fuit. Alii in Moscovia relictis, alii in regnum Casanum, alii in ipsam Siberiam missi et ubique in summam miseriam et egestatem redacti sunt. Hic multis illorum ex divina misericordia usu venit, quod Iesaiæ cap. 26. legimus: Domine in angustia visitaverunt te, effuderunt mussitationem, cum correctio tua appropinquavit eis. Qua de re praeter omnem opinionem nostram ex Siberiae metropoli Tobolio (vulgo Tobolsko) anno 1713. mense Iunio epistola a novem partim centurionibus partim subcenturionibus et signiferis suo et reliquorum nomine ad nos scripta, multa narrat, e quibus sequentia tantum ex Germanico Latine reddita huic relationi inserere visum est: „Postquam „misericors Deus pro inenarrabili sua *μωροθυρία* et salutis hominum cupiditate nos huc captivos „abduci passus et aliquam animorum nostrorum caecitatis agnitionem largitus est, summopere „mirati sumus, quomodo praeteritis temporibus ad mundi exemplum in diem securi viventes, collo- „cata in Christi merito fiducia, de divina gratia nobis ipsis persuadere potuerimus, ita quidem, ut „vel ipsam mortem oppetere non dubitassetus. Hanc vero miseriae nostrae agnitionem vivida „Christi virtute, cuius antea plane ignari, saltem expertes fuimus, consecuti ubi divinam gratiam „imis suspiriis anhelare coepimus, amantissimi Patris nostri providentia factum est, ut unum alter- „umque scriptum ex iis, quae apud vos in lucem edita sunt, in manus nostras pervenerit. Quorum „in animis nostris operatio in solius Dei reconditae bonitatis gloriam hanc veram confessionem nobis „quasi extorquet, quod Dominus illud, quod in annexis precationibus ab ipso omnis boni datore „petitum est, ut nimirum istius laboris fructus in futura aeternitate aliquando reperiretur, pro sua „benignitate et misericordia nobis concesserit. Non tantum autem ex scriptis istis in hac captivitate „uberrimam aedificationem cepimus, sed fratrum quoque nostrorum nonnullis excitationi fuit recordatio „vivi exempli vestri. cetera.“ Post hanc epistolam nuperrime aliam accepimus ab iisdem militum

*) In castris Altranstadiensibus Franckius mense Ianuario a. 1707 fuerat spectator.

rectoribus et triginta duobus aliis subscriptam. Erat haec responsoria ad meam, quam priori illorum rescripseram, in qua verbis multo pluribus eadem narrabant, de quibus in antegressa nos fecerant certiores. Allatae quoque sunt Moscu et Archangelopoli aliquot diversis temporibus epistolae, quae de singulari animorum excitatione inter eos, qui in ista magni ducis regia aliisque tum Moscoviae, tum regni Casani vicis ac oppidis asservantur, multa memoratu digna nuntiant. Inter alios vero libros, quorum lectione haec excitatio vel exorta vel progressa dicitur, ii etiam nominantur, qui apud nos excusi sunt. Quae omnia non vanae iactantiae ergo, sed eo a me huc referuntur, ut divina beneficia, quae orphanotrophei nostri, speciatim officinae librariae opera peregrinis etiam et exteris extra hunc locum degentibus obtingunt, Tu, vir maxime reverende, nobiscum cognoscas atque collaudes. Huc referre etiam licuerit duas Novi Testamenti editiones, alteram lingua Slavonica, alteram Graeca authentica cum versione Graeca hodierna vulgari, hic excusas. Illam quidem amicorum sumptibus in Bohemicae gentis usum, praesertim in Hungaria, ubi Protestantibus religionis exercitium adeoque et librorum suorum divulgatio vel plane non vel aegre admodum a pontificiis permittitur, imprimendam curavimus. Hoc ipso tempore Johannis Arndii, theologi superiore saeculo ineunte in Germania nostra pientissimi, libri de vero Christianismo (cuius versio Latina aliquot abhinc annis Londini recusa est, Anglicana autem nuperrime ibidem prodiit) in linguam Slavonicam versi sub prelo sunt, eiusdem gentis usibus destinati. Altera Novi Testamenti editio, Graeca videlicet, anno 1710. serenissimae reginae nostrae, nunc viduae, liberalitate pro Graecis hodiernis, quippe quibus ex Turcarum invidia verbum Dei rarissimum est, in lucem exiit. Excusa erat, quod ipsum te fugere non crediderim, iam sub huius saeculi initium Londini editio Novi Testamenti Graeci vulgaris: quam cum inter alias rationes ex eo etiam capite, quod deesset ipse textus authenticus, Graecis minus gratam fuisse percepimus, hac nostra editione utiliore operam ipsis nos praestituros credidimus. Praefationem Graecam huic editioni ad Graecos praemisit Ioannes Haimannus Batavus, qui aliquot annis Smyrnae inter populares suos officio ecclesiastae functus, cum Graecis multam consuetudinem habuerat. Latinam nos adiunximus in illorum quidem gratiam, qui Graecam linguam hodiernam ignorant. Germanis nostris singulari plane instituto non tantum de novi foederis libris, sed de integro etiam sacro codice divina providentia prospexit: quod scire Tibi imprimis volupe futurum existimo.

Nimirum vir quidam illustribus parentibus, et quod praecipuum est, ex summo Deo natus, nomine Carolus Hildebrandus Cansteinus, fantor noster et caeterorum Dei servorum longe amicissimus, anno 1710. consultationem in lucem publicam emisit,*) quo modo utriusque foederis libri coniunctim et novi testamenti separatim in usum pauperum vili admodum pretio quam emendatissime excudi possent. Tantam videlicet typorum multitudinem conficiendam esse monuit, quanta ad omnes sacri codicis plagulas requireretur. Ita enim fieri posse, ut typi semel coniuncti in ordine consisterent, nec opus futurum, ut in iterandis editionibus typothetarum manibus denuo inter se coniungerentur et pro isto labore consuetum pretium solveretur. Praeterea huius rei et hunc usum futurum, ut errata typographica, quae in primam editionem irrepserint, e sequentibus editionibus tollerentur, adeoque quam accuratissima editio successu temporis prodiret. Haec consultatio Dei beneficio ita a plerisque approbata fuit, ut cum ipso Cansteinio multi pro suo quisque instinctu ad hoc institutum pecuniam conferrent. Hinc in excudendo novo foedere, cui Psalmi Davidici deinde

*) Est libellus rarissimus, cui Canstenius inscripsit: *Ohnmaassgebender Vorschlag, wie Gottes Wort um einen sehr wohlfeilen Preis den Armen in die Hände zu bringen sey*, quem multi post annum 1710 iterum litterum formis excudendum curaverunt.

iungebantur, initium anno 1712. factum est, et intra triginta mensium intervallum septem editionibus exemplarium triginta octo millia prodierunt, quorum unumquodque duobus grossis (quae est pars librae Anglicanae sexagesima tertia aut quarta) venditum est. Integrorum Bibliorum forma octava duabus editionibus decem millia excusa sunt, et proxime ineuntis anni mense Martio quinque millia forma 12^{ma} prodibunt. Cuius editionis pretium itidem tam modicum est, ut libra Anglicana, grossos nostros Misnicos centum et viginti sex aut octo circiter aequante, maioris editionis exemplaria tredecim, minoris autem viginti unum emi possint.

Non dubito, vir maxime reverende, quin hanc rem maximopere sis admiraturus, quandoquidem permulti in ipsa Germania nostra eam non satis mirari queunt. Prodierunt quidem per quatuor vel quinque lustra, postquam Deus singularis cognitionis suae lucem in his terris denuo exoriri iussit, tot integrorum Bibliorum Germanicorum, separatim quoque Novi Testamenti exempla, quot per omnes a reformatione annos prodiisse vix adfirmaverim; tam vili autem pretio ulla umquam aetate vendita esse, quo nunc quidem venduntur, nemo vel audire vel legere meminerit. Unde vel pauperrimus servus et ancilla, si non integra biblia, Novum tamen Testamentum comparare sibi possunt, ut adeo hoc institutum ad cognitionem Dei inter Germanos nostros promovendam quam accommodatissimum merito habeatur. Excitati quoque sunt hoc Cansteinii exemplo hic illic nonnulli alii, ut licet non aequae exiguo, multo tamen viliori quam antea fieri consueverat pretio Novi praesertim Testamenti libros ediderint: nec dubium est, quin plures in posterum idem exemplum sint imitaturi.

Eadem sors iam quibusdam aliis institutis nostris supra descriptis obtigit. Posteaquam enim Deo duce orphanotropheum hoc loco extruximus scholasque pro pauperibus praecipue aperuimus, in diversis Germaniae civitatibus et oppidis hi illi ad imitationem excitati fuerunt. Possem huius rei quam plurima exempla proferre, sed libet nunc unius tantum et alterius iniicere mentionem. Augustae Vindelicorum quidam pius ecclesiae minister lectione libelli nostri „Vestigia viventis adhuc Dei“ summopere excitatus anno 1702. maiorem pauperum curam suscipere decrevit. Magistratui igitur hoc negotio maiorem in modum commendato, ac rem ipsam adgressurus, exiguis admodum subsidiis instructus, divino tamen nixus auxilio, quatuor homines adoptavit illisque filiorum suorum praeceptorem, quem ex orphanotropheo nostro acceperat, praefecit, ut illos in rebus ad salutem creditu et factu necessariis instrueret. Quod consilium Deo ita placuit, ut non tantum hisce quatuor alimenta necessaria procurarit, sed eorum numerum intra unius fere anni spatium ad octoginta adauxerit. Suscitavit etiam Deus alium quendam pium hominem, qui horum in pauperum usum novam domum donavit. Qua anno 1703. mense Decembri ab Gallis Bavarisque urbem oppugnantibus cum multis aliis domibus in cineres redacta, quamquam pauperes dimitti debuerunt, parvo tamen elapso tempore isti a divina providentia denuo ita prospectum fuit, ut in ipso belli strepitu non tantum iis ipsis nihil defuerit, sed multi etiam ex civibus Augustanis et captivis militibus apud illos solatium et auxilium iuvenierint. Postea vero urbe ab hostibus relicta hoc institutum Augustanum Deo fortunante adhuc maiora incrementa cepit et in hunc usque diem floret. Eodem anno 1702. Noribergae quoque quidam pius ecclesiae Christi pastor, amicus noster carissimus, communicato nobiscum consilio pauperum parentum liberos in legendo, scribendo et necessariis doctrinae Christianae capitibus instituendos curare coepit. Selegit nimirum ex scholarum latinorum Norimbergensium alumni adultioribus nonnullos, quibus, ab se praeparatis, negotium dedit, ut istos liberos in ipsis parentum ipsorum domibus docerent. Aduit etiam hucusque divina providentia huius viri conatui et multorum Norimbergensium ac peregrinorum animos ad eum iuvandum flexit, ut discipulis, qui ab initio statim trecenti et amplius fuerunt, necessarios libros coemere et

eorum praeceptoribus quinquaginta*) didactrum solvere potuerit. Post illud tempus, anno nimirum 1710., homo quidam rusticus, qui ex vectura vitae sibi subsidia comparare consueverat,**) postquam ad sollicitam suae ipsius salutis rationem habendam divinitus excitatus fuerat, videns adeo multos homines in summa Dei ignoratione versantes, eorum miseria summopere commotus, rudi et desertae iuventuti, quantum in se foret, Deum cognoscendi occasionem suppeditare statuit. Domum ergo in pago quodam, sex horarum spatium hinc dissito, exstruendi consilium secum agitans, sumptibus necessariis destitutus, curru suo equisque divenditis ad negotium ipsum se accinxit. Quo in incepto, licet multos haberet derisores et adversarios, Dei tamen auxilio confisus strenue perstitit domumque tandem in eum statum perduxit, ut nunc viginti orphani eam habitent, qui praeter victum vestitumque ab pio quodam theologiae studioso, quem ipsis praeceptorem constituit, in timore Domini erudiuntur, donec pueri ad opificium addiscendum, puellae vero ad ancillandum dimitti possint. Quemadmodum autem tria haec diversorum locorum instituta ab auctoribus suis nullo certo subsidio instructis ex sola Dei providentiae fiducia ad nostrorum imitationem inchoata sunt, et eodem adhuc modo continuantur (cuiusmodi plura memorare de industria praetermittimus***), ita quam plurima orphanotropha proxime elapsis annis in Germania nostra inter utrosque Protestantes constituta sunt, quae licet certis redditibus gaudeant, nonnulla tamen occasione nostri orphanotrophei exorta esse partim ex ipsis publicis relationibus, partim ipsorum auctorum ad nos datis epistolis comperimus.

Singulare adhuc institutum superest pro India orientali. Memineris, vir maxime reverende, in libello nostro de huius loci institutis edito missionariorum Danicorum, Tranquebariae in littore Coromandelino inter Malabaros evangelium Christi docentium passim fieri mentionem. Huius de missionis ratione et iis, quae in eius subsidium hoc loco instituimus, ex relationibus a plurimum reverendo Boehmio in linguam vestram translatis Tibi forsitan iam plura innotuerunt.†) Quia vero hoc pro certo scire nequeo, non inique me facturum puto, si praeter ea, quae postea, quam illae relationes a nobis publicatae sunt, ex Missionariorum litteris cognovimus, prima huius missionis initia paucis repetiero. Anno 1705. exeunte viri duo Bartholomaeus Ziegenbalgius et Henricus Plutschovius, uterque Germanus, iussu regis Daniae, cui a Lutkenio, theologo primum Berolinensi, deinde Havniensi, fautore et amico nostro iam beato, commendati fuerunt, in Indiam orientalem missi sunt, ut periculum facerent, anne quosdam ex gente Malabarica ad Christi agnitionem possent perducere. Mense igitur Iunio anni 1706. salvi et incolumes Tranquebariam delati cum ministerium suum auspicarentur, in addiscendas linguas Malabaricam et Lusitanicam,

*) Abest florenorum, uti videtur, vocabulum.

**) Est Christianus Buch, qui Chryselii pastoris consilio et auctoritate adiutus orphanotropeum Langendorfense in hac provincia Saxonica situm condidit.

***) Mirum est plane omissam esse a Franckio mentionem Theodori Gehrii, qui cum a. 1698 Regimontii in Prussia curam puerorum melius instituendorum suscepisset magistrosque eorum Hala vocasset, vir cum Spenero, Franckio Canstenio consiliorum omnium societate coniunctissimus, a theologis orthodoxis scholarumque publicarum magistris iusto reddituum generi metuentibus acerbissime vexatus et in ius vocatus est. Regis vero singulari gratia adiutus ille collegium Fridericianum condidit et ad leges Halenses per Lysium suum constituit. Egit de praeclaro viro Ioannes Horkelius singulari libello a. 1855., qui nuperrime in eius Orationibus et Commentationibus ab C. Heilando collectis p. 60—165. repetitus est. Quae omnia ex litteris Gehrii et Lysii hic servatis poterant oblata opportunitate suppleri.

†) Est liber anglie editus: Propagation of the success of two Danish Missionaries, lately sent to the East Indies, for the conversion of the heathens in Malabar; cuius particula prima Londinii prodiiit 1709, secunda 1710, tertia 1714.

utramque isti genti usitatam, primum incumbere coeperunt. Qua de re aliisque ad munus suum spectantibus eodem adhuc anno ad Ioachimum Langium, tum temporis gymnasii Fridericiani, quod Berolini est, rectorem, nunc theologiae in hac academia Professore nostrumque adeo collegam coniunctissimum, et ad me scripserunt.*) Illius institutione in dicto gymnasio, mea autem in hac academia Fridericiana ambo usi et in orphanotropheo victu eodem tempore fructi fuerant: unde factum, ut ab utroque nostrum consilium et opem in officio suo sibi expeterent. Inter alia de linguae Malabaricae addiscendae difficultate conquerebantur. Adoptaverant sibi praeceptorem Malabaricum, qui vero propter linguarum, quas illi callebant, ignorationem non multum ipsis potuit prodesse. Arreptis tamen aliquantum linguae Malabaricae fundamentis (Lusitanicam iam in itinere aliquo modo didicerant) ita inter eos sorte iacta convenit, ut Ziegenbalgius Malabaricae, Plutschovius autem Lusitanicae praecipuam operam navaret. Hinc Ziegenbalgius libros Malabaricos varii argumenti undique coemit ex eorumque frequentissima lectione ita profecit, ut intra octo mensium spatium sermones publicos habere posset. Deus, cuius nutu se in istas terras devenisse certissimi erant, laboribus eorum talem quoque successum impertivit, ut non multo post ministerii sui initia unum atque alterum ex ethnicis Christo lucrarentur. Qua re illi summopere laetati excitatique in incepto alacriter pergere statuerunt. At vero, quae est communis fidorum Dei servorum conditio, multa eaque gravissima impedimenta sibi obici videbant. Ex parte quidem Indorum hoc maximum impedimentum esse narrabant, quod illi de Christianorum religione, quam ex plerorumque vita deteriore metirentur, pessime sentirent. Unde eos, quos hanc ipsam amplecti velle suspicarentur, omnibus modis a proposito retractum ibant, et si quis nihilominus propositum perficeret, eum omnibus bonis et vivendi facultatibus privari adfirmabant. Multo maiora autem obstacula sibi ab iis ipsis fieri querebantur, qui ex officio Christiano atque ex ipsius regis Daniae mandato ipsos iuvare deberent. Enimvero haec impedimenta nostri nihil morati officio suo omni fide et dextertate fungi adnitebantur. Cum vero ad aedificandum templum, ad erigendas scholas, ad describendos libros Malabaricos et Christianos aliaque huius generis instituta externis etiam adminiculis opus sibi esse monerent, Deus multorum Germanorum, qui litteras missionariorum a nobis publicatas legerant, animos excitavit, ut in istorum subsidium non mediocrem pecuniae summam conferrent. Qua ad illos feliciter deportata ad saluberrima instituta usi sunt. Longum foret singula enarrare, quare ea dumtaxat paucis, quam fieri potest, adhuc attingam, quae consecuto tempore ad nos scripserunt. Litteris, quas anno 1707. ad nos dederunt, quosdam sibi administros dari cupiebant. Hinc anno 1708. exeunte Ioannes Ernestus Grundlerus, philosophiae magister, qui in Paedagogio nostro Regio praeceptoris munere adhuc functus erat, et Ioannes Georgius Boevingius, qui in academia Kiloniensi, quae est in Holsatia, studiis theologicis vacaverat, postquam Havniae consuetis ritibus sacro ministerio initiati fuerant, iussu regis Tranquebariam profecti sunt. Abiit una cum illis quidam Polycarpus Iordanus, theologiae studiosus, cuius opera in orphanis nostris formandis et inspectandis aliquot annos usi fuimus. Postquam igitur hi tres anno 1709. mense Iulio Tranquebariam pervenerunt, cum duobus illis ad paganos in veritatis viam perducendos perductosque confirmandos sese applicuerunt. Anno 1711. mense Septembri ex communi consilio Plutschovius in Daniam profectus est, ut regi suo universum missionis statum exponeret, cuius post discessum Boevingius nave conscensa itidem in patriam remigravit. Interim

*) Primae illae narrationes non Halae, sed Berolini editae sunt inde ab a. 1708, earumque titulos in progr. schol. lat. a. 1862 p. 51. descripsi. Addi potest earundem epistolarum editionem a Christiano Gustavo Bergio Pirnae a. 1708 curatam esse. Eadem in Halensibus narrationibus inde ab a. 1710 editis non repetitae sunt, gravissimae vero res Continuationi sextae p. 217—237 insertae.

fama de huius missionis ortu atque progressu in Angliam perlata societas de Cognitione Iesu Christi propaganda, quae Londini est, laudatissimo exemplo hisce missionariis succurrere decrevit. Qua de re epistola ex Anglia ad ipsos die 4. Ianuarii 1711. scripta satis superque testatur. Ex qua sequentia, quae ad manus nostras pervenere, Tecum communicare non abs re fore autumo.*)

„Si multos in Europa, quibus pietas cordi curaeque est, invenistis admiratores laborumque vestrorum in Oriente ad propagationem evangelii tendentium aestimatores, Anglorum certe singularem iniistis gratiam, quam primum ipsis progressuum vestrorum typis impressa narratio innotuit. Sicut enim vera Servatoris nostri Ecclesia corpus est multis constans membris, quorum ipse princeps est et caput totam corporis structuram, imo unamquamque eiusdem partem solido vigore iugique virium spiritualium influxu corroborans: sic quoque unumquodque corporis huius membrum non potest non intime laetari, quum totum corpus ad ampliorem mensuram staturae Christi excrescere percipit. Neque minus sanae pietatis cultor gaudebit, cum deprehenderit exsiccata quasi ethnicorum ossa vitaeque et spiritu caelesti destituta ad vitam iterum commoveri sanctiori Dei spiritu pulsisque profanis superstitionum nebulis ad serenam evangelii lucem recipiendam disponi.“

„Hac de causa Societas, de Cognitionis Iesu Christi propagatione in Anglia nomen sortita, non tantum vestrum ad promovendum in Oriente evangelium adprobavit studium, sed et considerando zelum, quem in proseguendo hoc, quod incepistis, negotio exseruistis hactenus, membra vos elegit societatis (ut vocant) correspondentia, spe freta fore ut mutuo eiusmodi litterarum commercio Christianis monitis iunctaque opera opus Domini plus ultra in dies extendi possit. — Adeo verum est, quod in vestris etiam observatis litteris, juvenilem citius aetatem ad bonos mores formari quam senilem, quippe quae dum plus iusto mere externae et mortuae religionis formae adhaeret, ad sanioris veritatis gustum adduci aegre se patitur. — Et quoniam Societas haec ex litteris vestris accepit eadem vos instituisse via diversosque in idioma Malabaricum transfudisse tractatulos ad verum christianismum spectantes, non potest non una voce et consensu adprobare tam utile propositum, ac uberiores numinis divini benedictionem coeptis vestris adprecari. Diuturno enim rerum usu deprehensum est, adminiculum hoc ad propagandum non fucatae pietatis studium summopere in Europa conduxisse. Sed cum non sine causa conquiramini de sumptibus in transcribendos eiusmodi libros impendendis, optantes, ut ope preli typographici omnibusque ad hoc necessariis difficultates hasce superare tandem queatis, memorata modo Societas toto hoc negotio bonis viris de meliore commendato, tantum argentum impetravit, ut non prelo solum latino omnique ad hoc requisito apparatu, sed et superaddita quinquaginta librarum Anglicarum summa subvenire vobis potuerit: nihil magis in votis habens, quam ut ii, qui ad hoc opus tam liberali contribuerunt manu, de beneficio iam collato non tantum gaudere queant, sed et ampliorem hinc nanciscantur occasionem bona sibi concessa in communem aliorum, praecipue ethnicorum, usum eo libentius conferendi. Ante autem quam finem scribendi faciam, de quarta in Anglia societate, quae propagando evangelio in partibus transmarinis operam navat, vel verbum adicere liceat. Et haec ad similitudinem vestri in oriente laboris quam proxime accedit. Viros vobis enarrare possem tam in ecclesia quam politia ad gubernacula sedentes, qui honori sibi ducunt, illustri huic religionis propagandae operi incumbere. Hinc autem praesagire licet, magnum emolumentum ad ecclesias tam orientales quam occidentales suo tempore esse rediturum, si divina,

*) Typis descripta sunt eius epistolae fragmenta in Halens. Narrat. continuatione sexta p. 288—291 et p. 299.

„ut speramus, providentia isthaec porro secundaverit incepta. — Vos vero, reverendi viri, serena „fronte hanc narratiunculam et ad futurum litterarum commercium invitationem accipite. Calcar „vobis addant hi qualescumque in Anglia conatus. Eo alacrius ad metam vobis propositam depro- „peretis, quo plures in eodem stadio currentes deprehendetis. Nolite abicere animum, si vel „aperta vos vi adgrediatur vel secretis machinis insidias struat communis animarum hostis, qui „nihil intentatum relinquit, ut opus Domini in ipsa (quod aiunt) herba et primo quasi infantiae flore „suffocet. Veritas semper victrix evadit, etsi vel maxime prematur, opprimi tamen nullo modo „potest. Sit victoria vestra in humilitate Christi, et catholicus amor patientia vos ut clypeo muniat, „circumdet, protegat, quo omnia tandem adversariorum tela frangantur. — Placuit Societati de „propaganda Christi cognitione ministros ecclesiae Anglicanae, nimirum Dn. Lewis, Dn. An- „derson et Dn. Watson ad idem litterarum vel correspondentiae (si ita loqui licet) commercium „invitare; quorum ille in urbe Madras, iste in Bengal, hic autem in urbe Bombay ecclesiae, „quae Christo ex nostra natione colligitur, praest. Exoptat laudata Societas, ut vos, reverendi „viri, amicitia cum his Anglicanae nationis pastoribus inita ad propagandum in Oriente evangelium „sedulo utrinque incumbatis adeoque mutuo auxilio consilioque subveniatis vobis invicem. Id quod „Societatis iussu dictis ecclesiae ministris significatum est.“

Hasce litteras cuidam Finckio Tranquebariam perferendas dederunt. Fuit hic theologiae studiosus nostras, qui in Angliam ad iuventutem formandam a nobis missus, provincia hac aliquandiu fideliter administrata ex dictae Societatis voluntate artem typographicam addidicerat eum in finem, ut typorum, quos Societas in Indiam mittere decreverat, ope libros Lusitanicos in usum missionariorum excuderet. Enimvero hic ipse, capta ab Gallis ad Brasiliam nave, multa dura passus, eademque statuto pretio per Anglos redempta, iter reliquum ingressus, diem obiit. Supelllex tamen typographica, chartae ac reliqua munera missionariis destinata (excepto argento, quod furto ablatum fuit) recte in Indiam pervenerunt. Quantam animi alacritatem missionariis hic Anglorum conatus ac subsidium addiderit, epistola anno 1712. ad nos missa verbis pluribus sunt testati. Doluerunt autem vehementer mortem Finckii, cuius in locum ut nos alium typographum una cum typographia Malabarica, quippe qua sibi maxime opus esse iam antea significaverant, mitteremus, maiorem in modum rogaverunt. Interim quia Societas missionariis litterarum commercium cum Anglicanae ecclesiae in India ministris instituendum commendaverat, illi huius desiderio satisfacturi, succinetam totius instituti sui delineationem ad dictos ministros miserunt. Cuius delineationis exemplum, ad nos perlatum, huc transcribere placet, ut ita ex ipsis missionariorum verbis de universo negotio Tibi eo melius constet.*)

**Ordo nexusque salutaris instituti ad propagandam inter paganos
orientales vivam Christi cognitionem, in primis inter Damulos, vulgo Malabaros dictos,
Tranquebariae incepti.**

„Totius instituti, quod virtute divina, iussu serenissimi regis Daniae, hic Tranquebariae „geritur, verus scopus hic est, ut viva Iesu Christi cognitio in locis hisce obscuris propagetur, „paganorum animi, si qui verbo Dei obtemperant, ad veram christianismi praxin adducantur ac „salventur. Ad hanc metam deproperandam (prout loci ratio postulat) duae diversae linguae „necessariae sunt, Damulica, vulgo Malabarica dicta, quae praecipua, et Lusitanica. Totum igitur

*) Legitur idem in Narrat. Halens. contin. VI, p. 300—305, unde leviora quaedam correximus.

„opus in binos dividitur coetus, quorum unus est ecclesiola (ut ita loqui liceat), cui verbum veritatis adnunciatur lingua Damulica; alter est ecclesiola, cui evangelium adnunciatur lingua Lusitanica. De qualibet paucis seorsim.“

„In ecclesiola Damulica inveniuntur baptizati, baptizandi seu catechumeni et tres scholae, cum quibus habentur labores publici et privati. Publici labores ii sunt, ut singulis diebus dominicis duae habeantur conciones omnibus membris congregatis in templo nominato Ierusalem. In concionibus matutinis pericopae evangeliorum dominicalium simplici ac perspicuo sermone sine humanae eloquentiae et scientiae coloribus explicantur, ad internam animi culturam et vivam praxin adplicantur, adhibita semper cautione, ut recte secetur sermo veritatis. Eadem methodo post meridiem catechismus secundum B. Speneri explicationem tractatur. Antehac Articulos fidei et epistolas dominicales docendo absolvimus. Die sexto cuiusque hebdomadis in dicto loco catechisationes biblicas secundum seriem librorum Novi Testamenti habemus. Privatorum laborum perfunctio in eo vertitur, ut in domo missionariorum, quam habitamus, quotidie cum membris ecclesiae Damulicae in duas partes divisas catechisationes instituamus. Sunt enim in coetu nostro incipientes et proficientes.“

„Incipientes sunt pueri et puellae minores in scholis, nec non adulti, qui ex idololatria verae ecclesiae Christi se applicare desiderant, catechumeni dicti. Hi catechizando in doctrina christiana ac ordine salutis a nobis erudiuntur et instruuntur: quos si verae religionis et fidei elementa addiscendi cupidos ac in agnitione voluntatis Dei eiusque practica observatione se exercentes magis magisque deprehendimus, praevis coram ecclesia examine per sanctum baptismum Christo et ecclesiae implantandos offerimus.“

„Proficientes nominantur pueri et puellae scholarum maiores nec non caetera ecclesiae membra magis ad ἐπίγνωσιν et agnitionem veritatis secundum pietatis indolem pertingentia, quibus catechizando singulis diebus sancta apostolorum scripta a nobis explicantur. Sed sicut triticum semper paleam habet admixtam, ita non desunt inter istos, qui cognitione mere historica de rebus divinis contenti sunt. At vero, quia oratio verum est medium, per quod viva Dei cognitio ac divina indoles quaeritur et invenitur, ex his quidam sexto die eiusque hebdomadis conveniunt, qua hora animum suum ad Deum elevant et alius post alium orationi cordis insistent; hac tamen differentia, ut viri cum pueris in uno, et mulieres cum puellis in alio conclavi Deum adorent. Omnino autem semper observamus, quod aetas iuvenilis utriusque sexus aetatem senilem et in cognitione veritatis Christi et in oratione ad Deum vincat.“

„Deinde privatissimi etiam labores nobis incumbunt, ut sunt 1) visitationes domesticae, 2) colloquia cum membris ecclesiae secundum uniuscuiusque vel internum animae vel etiam externum corporis statum; 3) conversiones ex idiomate Germanico in Damulicum; siquidem iam unus theologiam Freylinghusii, alter B. Speneri explicationem catechismi in idioma Damulicum transfudit; 4) elaborationes quorundam tractatum, quos in Europam transmittimus, ad revelandum magis nostratibus naturam et ὁμολογία istius paganismi, ad quem evertendum missi sumus: quam ob causam hoc anno duos eiusmodi tractatus elaboravimus, quorum unus agit de Paganismo in genere, alter de arte medica inter Malabaros usitata.“*)

„Nunc etiam mentio facienda est de fructiferis nostris plantariis ecclesiae inter Paganos plantandae, scholas putamus Damulicas. In prima schola pueri erudiuntur adulescentes, qui

*) Prioris auctor est B. Ziegenbalgius: *das verdammliche allgemeine Heydenthum — geschrieben in Ostindien und denen Christen in Europa zum reiflichen Nachdenken vorgestellt* — alterius I. E. Gruendlerus: *der Malabarische Medicus*; quorum librorum integri tituli reperiuntur in Narrat. Halens. Cont. VI. p. 286.

„legunt Novum Testamentum et ex eo discunt dicta biblica, discunt et theologiam, historiam Veteris
 „Testamenti biblicam, arithmeticam et calligraphiam in Damulico papyro, vulgo Oles dicto. Qualibet
 „hebdomade corrigendam exhibent meditatiunculam in Scripturae dicta, quae secundum analogiam
 „fidei explicant et adplicant. Discipuli in hac schola ita praeparantur, ut proximis temporibus
 „huic instituto tanquam scribae, praeceptores ac catechetae bono cum fructu, ut speramus, inservire
 „possint. In secunda schola, quae suas habet subdivisiones, sunt pueri minores diversorum
 „profectuum: alii discunt dicta Scripturae et libellum de ordine salutis: alii legunt cantica sacra
 „et discunt catechismum ac arithmeticam; alii discunt catechismum sine explicatione et litteras
 „elementarias, quas digito etiam arenae inscribunt. In tertia schola continentur puellae, quarum
 „aliae legunt Novum Testamentum ac historiam Veteris Testamenti biblicam, discunt compendium
 „theologicum et dicta biblica; aliae discunt ordinem salutis, catechismum et litteras elemen-
 „tarias. Prioribus duabus scholis duo praesunt praeceptores; puellis vero vidua aliqua probatae
 „vitae, quae et aliis ministeriis praeest a sequiore sexu commode expediendis. Hora sexta vespere-
 „tina duae scholae puerorum conveniunt ad communem catechisationem: ipsi discipuli primae scholae
 „sub inspectione praeceptoris catechisationem instituunt de veritatibus divinis hora matutina ex
 „missionariorum ore in catechisatione auditis, caeteri pueri ad quaestiones respondent. Id quod
 „puellae quoque faciunt. Quotidie horis matutinis et vespertinis preces ad Deum fundunt, in duos
 „coetus divisi. Singulis mensibus cum tribus hisce scholis examen instituimus, quo nos missionarii
 „singulorum profectus exploramus: interim non intermittimus quotidianas scholarum visitationes.
 „In his scholis pueri et puellae iam numerantur 34, quibus de omnibus ad vitam necessariis pro-
 „spicitur. Restat, ut nonnihil adiciamus de modis dispergendi semina verbi divini inter paganos
 „ipsos, claritate evangelii destitutos. Primus hic est: Egressi ad coetum paganorum sermonem
 „cum illis conserimus de lapsu generis humani, de voluntate divina hominibus revelata et de via,
 „qua homo in mediatore Christo ad vitam renovatur. Alter modus est iste: parvulos nostros
 „educimus in plateas, pagos et domos iter facientibus ad quietem aedificatas, atque in eiusmodi
 „locis concurrentibus paganis, verbum domini dictis paganis catechetice instillamus, adhibita semper
 „applicatione ad circumstantes infideles. Accedit tertius modus, ubi de Christiana doctrina libellos
 „in linguam Damulicam conversos quacumque occasione dispergimus. Supersedemus alios modos,
 „quibus hoc in negotio utimur, enumerare, quippe qui peculiari libello duobus abhinc annis in
 „Europam misso, a nobis inserti sunt. Pauca haec sufficiant monuisse de ecclesiola Damulica.

„Sed et alterius coetus, si licet, ecclesiolae Lusitanicae (a lingua ita dictae) pau-
 „cissimis mentio facienda est: quae lingua in maritimis civitatibus Indiae orientalis usitata est, in
 „quibus Europaeorum plantationes, quas vocant, erectae sunt. In hac ecclesiola deprehenduntur,
 „ut in praecedenti, baptizati, baptizandi et schola. Et quia hic ordo in plurimis ecclesiae Damu-
 „licae antea delineatae respondet, tantummodo ea, in quibus discrimen attenditur, recensebimus.
 „Diebus dominicalibus concio habetur Lusitanica hora 9, finita nempe Damulica. In qualibet con-
 „cione iam absolvitur Articulus fidei circa credenda et agenda, qui a meridie in aedibus missionari-
 „orum catechisando repetitur, ut observari possit, quam attentos se in audiendo verbo Dei prae-
 „buerint minores ac adulti, et ad firmandum magis animos in veritate. Die quarto cuiusque heb-
 „domadis catechisationes habentur publicae secundum ductum Compendii Theologici a Dno
 „Freylinghusio*) editi, ad hunc usum in linguam Lusitanicam translati. In privatis catechisa-

*) Freylinghausen tribus libris doctrinam christianam explicavit diversarum aetatum ratione habita: iis qui pro-
 fecissent in litteris scripsit fundamenta theologiae christianae (*Grundlegung der Theologie*), quorum ad a.
 1734 novem editiones prodierunt, minoribus compendium doctrinae christianae, quod ad a. 1739 decies ter

„tionibus, quae quotidie in aedibus nostris continuantur, catechismus et ordo salutis tum cum aetate iuvenili tum catechumenis et aliis ecclesiae huius membris tractantur. Catecheta certis horis catechumenos erudit in doctrina pietatis. In schola Lusitanica maiores discunt Compendium theologicum, explicationem catechismi, arithmeticam et calligraphiam; legunt Novum Testamentum, eiusque dicta sacra memoriae tradunt. Hi singulis diebus binas horas in schola Damulica linguae Damulicae addiscendae tribuunt; minores discunt litteras elementarias, catechismum B. Lutheri et ordinem salutis. In hac schola pueri et puellae duodecim numerantur, qui etiam, ut 34 priores, cum iis, qui liberis serviunt, gratis vestiuntur, cibantur et educantur. Ecclesiae ministris, praecceptoribus, scribis Damulicis aliisque, qui instituti huius ministeriis praesunt, singulis mensibus datur salarium, ut nihil dicamus de eleemosynis. In hunc usque diem totum institutum adversantium conatibus ac machinis in tantas angustias redactum est, ut non nisi glorioso Dei auxilio praesidioque, quod certissime speramus, remediari possit, quo ex hoc persecutionum aestu non tantum elucemur, sed etiam in posterum causam Dei inter Indos orientales divino ardore ac optatissimo successu agamus Christoque animas lucremur. Deus ter Optimus Maximus, qui dedit Filium suum in lucem gentium, ut sit salus usque ad extremitatem terrae, stabiliat sanctum hoc manuum suarum opus, firmet illud contra vim et insidias adversariorum, perficiatque ad nominis sui aeterni gloriam et in paganorum aeternam salutem. Ab ortu solis usque ad occassum eius sit laudatum nomen Iehovae! Tranquebariae ad littus Coromandelinum in India orientali d. 20. Iun. Anno 1712.

Finckio autem ex Anglia profecto laudata Societas Novum Testamentum Lusitanicum Amstelodami quam nitidissime excudendum curavit, et anno eodem 1711. exeunte aliquot exemplorum centurias ad missionarios transmisit, datis ad eosdem denuo humanissimis litteris ita se habentibus.*)

Reverendi Viri,

„Speramus, circa hoc tempus Finckium nostrum, qui elapso mense Aprili ad vos transiturus navem conscendebat, in India orientali tandem appulisse. Erat is a Societate de propagando Christi Evangelio ad vos missus, ut in gerendo Domini opere manus vobis praeberet auxiliatrices, et suppellectili typographica, qua amicorum sumptibus erat instructus, veritates Christianismi eo expeditius spargeret inter Gentes. Incrementa scholae et ecclesiae Malabaricae adeoque totius instituti feliciter coepti scire desideramus vehementer: digitum enim Dei, ut Christianos omnino decet, non possumus non admirari in tam ardui momenti negotio, quod tam in Magna Britannia quam aliis terris promotores invenit, qui ultro erogarunt, quae propagando in India Evangelio inservire possunt. Ultima vestra monita, quae Anglorum plantationes, quas vocant, speciatim respiciunt, altius animis nostris insident, quam ut ullis ea impedimentis elabi nobis patiamur, sperando remoras, quae quidem in praesenti undique nos circumdant, divina gratia adspirante suo tempore superatum iri; quo ostio sermonis semel aperto, ut Scriptura loquitur, eo liberiori pede ad gentes transire liceat, et odorem cognitionis Christi quovis in loco manifestare. Certum est messem instare multam, et ipsis gentilium animis radium quendam altioris convicti-
onis in India tam orientali quam occidentali affulgere; laboramus autem in Europa magna viro-

litteris descriptum est, denique ordinem salutis (*Ordnung des Heyls nebst dem gülden ABC und Gebetlein*), cuius quindecim editiones ex prelis Halensibus usque ad a. 1739 prodierunt. Priores illi libri in latinam quoque linguam conversi sunt, alter in Damulicam a. 1709. Cf. Knapp. in *Frankens Stiftungen II. p. 188—190.*, qui praetermisit librum, cui inscriptum est: *Definitiones zur Grundlegung der Theologie*, sextum editas 1739.

*) Cf. Narrat. Hal. contin. VI. p. 322—324.

„rum penuria, qui, seposito rerum privatarum respectu et vanae *gloriarum* studio Christiana dexterritate opus hoc adgrediendo, non sibi ipsis stipendium vel mercedem lucrari intendat, sed Christo animas. Interea optamus, reverendi viri, ut vos opus curae vestrae commissum omni animi nisu urgere pergatis, et benefaciendo vos segnes fieri numquam patiamini. Quo intimius fraterno in Christo amore coaluerint corda vestra, eo magis conspicuus reddetur progressus in negotio salutis inter Ethnicos promovendo. Eum in finem primorum Christianorum exemplum iugiter vobis ob oculos versetur, quippe in quod ipsi gentiles olim intuendo sacrum mutui amoris vinculum et intimam animorum coniunctionem in Christianis magnopere mirabantur, et divinae convictionis aculeos de veritate religionis Christianae hinc percipiebant. Eadem via et vos insistatis, ut veritas Christianismi non per verba solum, sed per practicam insuper in vita et moribus expressionem gentilium se pectori eo altius insinuet: haec enim felicissima propagandi Christi evangelium methodus semper fuit. Duplex hinc vobis enascetur fructus; cum enim in ipso conversionis limine anceps quasi haereat homo, et iam circa possibilitatem, iam vero circa necessitatem Christianismi practici varia ipsi suboriantur dubia, ipsa missionarii vita, doctrinis ad amussim repondens, vividas post se relinquet convictiones, et subortos hos scrupulos ex auditorum animis feliciter eximet. Veterum enim illud dicterium: Cuius vita fulgur est, eius verba sunt tonitrua, missionario iterum iterumque inculcandum esse censemus. Vita enim bona omnem humanae artis ac eruditionis apparatus infinitis passibus post se relinquit; cum hic, si illa destituitur, hominem inflet et ad munus missionarii digne gerendum prorsus ineptum reddat.

„Novimus praeterea humanam rationem in hoc defectionis statu eo usque languescere, ut ad quodlibet periculum ac difficultatem expavescat, nescia, quo se vertat. Causa est, quia ratio post lapsum a Deo et suavi eius regimine semel avulsa perpetuis iam in se ipsa agitur dissidiis, et iam huc, iam illuc vago impetu impellitur. Natura vero fidei, quae in propagando Christi evangelio utramque paginam facit, non ita comparata est. Quando enim imbecillis hominis ratio, ingruente periculo, animo deficit, tunc fides in Dei potentiam, cui gratiose est unita, filiali fiducia eo firmiter recumbit. Quando ratio obruitur suggestionibus et anxiiis curis, fides curam suam et sollicitudinem omnem paternae omnipotentis manui committendo, in huius providentia conquiescit. Quando denique sibi relicta ratio de progressu operis ob imminencia pericula et calamitates dubitat, tunc fides in Christum, variis Dei promissionibus corroborata, divinam suam energiam eo efficacius exserit. Simplex enim fidei oculus est, et dum ex una parte perversi saeculi mores et degenerem naturam corrigere studet, ex altera parte non ex propriis viribus (ad bona quaeque praestanda emortuis), sed ex divino promissionis verbo unice uniceque pendet, et de obstaculis, quae communis animarum hostis numquam non ingerit, post multas devoratas molestias tandem triumphat.

„Ne itaque animum despondeatis, si variis cum adversitatibus luctandum vobis sit ac Sathanas vel ex Paganorum vel Pseudo-Christianorum grege evangelii propagationi inimicos suscitet. E contrario spiritu potentiae corroboretis vos invicem, Apostoli exemplum sedulo intuentes; hic enim Corinthiis scribit se Ephesi paulo diutius esse mansurum, adiecta hac ratione: nam ostium, ait, mihi apertum est magnum et adversarii multi. Ex quo videre est, Apostoli animum adversariorum multitudine nequitiam fractum fuisse, sed eo magis incensum ad opus Domini promovendum. In hunc itaque intuentes, animum in quavis adversitate recolligite et in tramite, quo coepistis, sedulo pergite. Valete in Domino. Londini die 21. Decembr. 1711.

Societatis nomine subscripsit

Heinricus Newmann

Secretarius.

Nos Germani interim in comparandam typographiam Malabaricam consilia nostra et studia contulimus. Missae erant ex India litterae Malabaricae (vulgo alphabetum) in charta depictae, quibus in chalybem incisis matricibusque inde confectis ipsos typos fundendos curavimus. Quo facto symbolum Apostolicum cum versione Latina et Germanica speciminis loco hic excudimus. Deinde universam supellectilem typographicam Ioanni Berlino, theologiae studioso, in orphanotropheo nostro artem typographicam edocto, et Ioanni Theophilo Adlero, typographo Lipsiensi, commisimus. Ultro sese nobis ad hoc negotium Adlerus offerebat, quod non sine Dei numine fieri credebamus, quia hic ipse non tantum artis typographicae satis peritus erat, sed litteras etiam chalybi insculpere typosque ex aere fundere callebat: cuius sine utriusque artis adiumento officina typographica diu consistere non potuisset. Die igitur 13. Decembris 1712. hi duo, assumpto in itineris futurique laboris societatem adolescente Adleri fratre, in Angliam et hinc mense Februario 1713. in Indiam profecti, Tranquebariam cum rebus omnibus die 29. Iunii ut celerrime ita felicissime pervenerunt: unde paucis abhinc hebdomadibus primitias typographicas accepimus, certiores simul facti, quod eo ipso tempore, cum navis abiit, Novum Testamentum a Ziegenbalgio in linguam Malabaricam, cuius ille peritissimus esse dicitur, translatum sub prelo esse coeperit. Narrant etiam missionariorum epistolae de edendis Bibliis integris Lusitanicis, quorum specimen iisdem involutum erat. Ante autem, quam haec ipsa prelo subiiciuntur, fortassis Vetus etiam Testamentum lingua Malabarica excudetur.*)

Diximus supra de suscepta a Plutschovio protectione ex India in Daniam. Postquam ergo itinere absoluto, salutatis in Anglia fautoribus et amicis, in Daniam anno 1713. ineunte redux factus, regi illud nuntiasset, cuius caussa missus fuerat, singularem ipsius iniit gratiam. In primis autem regis animus ad missionarios in India tuendos et rebus necessariis iuvandos inter ipsos armorum strepitus ita singulariter flexus fuit, ut divina providentia ex hoc quam maxime eluxerit. Plutschovius deinde mense insecuto Octobri ex Dania ad nos venit, ducto secum adolescente Malabarico, qui in sacro baptismo nomen Timothei sortitus et ex India cum ipso profectus fuerat. Per integrum semestre nobiscum commoratus nonnullos, quos inter supra nominatus Christianus Benedictus Michaelis fuit, linguam Malabaricam docuit. Quo in studio ubi illi tantum profecerant, ut catechesin Lutheri ac Matthaei Evangelium suo Marte interpretari possent, regis sui iussu cum itinerum suorum socio in Daniam revertit.

Haec de isto instituto, quae Tibi non minus grata futura confido, quam quae de reliquis memoravimus. Vivis, vir maxime reverende, in America, ipsa paganis extra ecclesiae Christi communionem constitutis abundantissima. Feceris igitur dictis missionariis rem gratissimam, si inito cum ipsis litterarum commercio de institutis, quae ad convertendos Americanos vestros inter vos obtinent, illis scripseris. Quo in commercio Boehmius noster et Tibi et illis libentissime commodabit. De istis institutis autem, ut et nos prima quoque occasione facias certiores, etiam atque etiam abs Te peto. Habemus epistolam cuiusdam Crescentii Matheri, Tui, ut credo agnati, Bostona die 12. Iulii 1687. ad Ioannem Leusdenum, philologum olim Ultraiecti in Belgio celeberrimum, scriptam, ab Laurentio quodam, amico nostro, Germanice versam, in qua de cuiusdam Ioannis Elliotti (quem non immerito Americanorum Apostolum dici affirmat) studiis ad convertendos ethnicos deque quibusdam coetibus ad Christianam religionem perductis nonnulla cum voluptate legimus. Quorum statum hodiernum cognoscere in primis aveo. Fortassis Tu ipse, vir maxime reverende, alicuius coetus ex gentibus Americanis collecti Pastor es, adeoque eo melius hac in re nobis gratificari poteris. Non ingrata tamen nobis erunt, quaecumque de Anglicanis etiam ecclesiis, natione talibus, subiungere Tibi placuerit.

*) Cf. Narrat. Hal. contin. VIII. p. 614 — 616.

Finirem hic narrationem meam, nisi de academia nostrae statu quaedam Te ex me scire velle videris: de quo igitur pauca subiungam. Ad Iurisconsultorum quidem, Medicorum et Philosophorum ordines quod attinet, non video, quae de istis theologo Tibi ego theologus scribam. De tota Academia generatim monuisse suffecerit, quod omnium in Germania hoc tempore a multis habeatur florentissima. In ordine theologico mecum quatuor alii Professores*) sunt: D. Ioachimus Iustus Breithauptus, abbas simul coenobii Bergensis, quod est prope Magdeburgum; D. Paulus Antonius, Ioannes Henricus Michaelis et Ioachimus Langius. Nos omnes per divinam gratiam coniunctissime vivimus**) et pro suo quisque gratiae modo opus Domini serio tractamus. Auditores nostros non tantum doctos effingere, sed etiam vere pios reddere adeoque ecclesiae Christi tales ministros praeparare conamur, qui verbum veritatis recte secare possint nec voce tantum, verum exemplo etiam suo greges suos doceant. Qua in destinatione etsi adhuc variis improborum vexationibus expositi fuimus, Deus tamen et patientiam et victoriam semper nobis concessit, quam et in posterum concessurum esse confidimus.


Quod reliquum est pro donis, quae orphanotropheo nostro bis separatis temporibus misisti (quorum priora quidem, ut initio dixi, nescio quo casu non allata sunt), Tibi, vir maxime reverende, gratias ex animo ago et hunc adiunctum programmatum a me editorum fasciculum tanquam grati animi qualemcumque testem mitto. Persuasum Tibi habeas velim, me ex eo tempore, quo nobis per litteras innotuisti, creberrimam Tui in precibus ad Deum fecisse mentionem nec unquam eam facere destitutum esse. Quod mutuum amoris Christiani officium ut et mihi collegisque meis, prout liberalissime promisisti, porro praestes, etiam atque etiam rogo atque obtestor. Ita futurum esse credo, ut licet locorum intervallo disiunctissimi simus, animi tamen nostri in Deo in dies magis magisque coniungantur, ut tandem in caelesti patria ad gloriam Dei et salutem nostram sempiternam de facie etiam invicem nos pernoscamus. Ita faxit Deus propter Christum, filium suum, communem nostrum hospitem! Amen. Vale. Collegae mei paulo ante nominati nec non duo isti, quos in pastore habeo, Freylinghusius et Wieglesius***) salutem Tibi impertiant. Datae ad d. 19. Dec. 1714. Hala Saxonum.


*) Breithauptus vocatus d. 7 (17) m. Octobris 1691, Antonius d. 9. August. 1695, Franckius d. 4. Septembris 1698, Michaelis et Langius d. 15. August. 1709, postquam Breithauptus abbas coenobii Bergensis factus est.

**) In libello: *Wahrhafter Bericht von dem jetzigen Zustand der Lößlichen Theologischen Facultät (1702)* testatur scriptor p. 4. „Was mir an den Herren Theologis am allerdenkwürdigsten jederzeit ist gewesen, das ist ihre ungemaine Collegialische Liebe und Einigkeit. Man kann wohl von ihnen sagen, dass die brüderliche Liebe unter ihnen seye hertzlich; und sie dennoch einer dem andern mit Ehrerbietigkeit zuvorkommen.“


***) Ioannes Hieronymus Wieglesius, natus Pferdingslevae apud Thuringos d. 19. Iulii (stili vet.) 1664, litterarum elementis a patre instructus ab a. 1667 gymnasium Gothanum frequentavit. Inde dimissus in academia Ienensi per quinque annos theologiae operam dedit et per semestre tempus Halae, unde ad docendi munus in gymnasio suscipiendum 1692 Gotham vocatus est. a. 1701 rector scholae Glauchensis et diaconus ecclesiae S. Georgii factus Franckio strenuissime praesto fuit, qui cum a. 1715 in pastorem Ulricianum electus esset, ei successit Wieglesius. Mortuus est d. 16. Septembr. 1730. Funerem orationem habuit G. A. Franckius eamque cum „epicediis“ edidit.

Hac prolusione ex rerum nostrarum memoria petita tamquam viam munivimus ad gravioris muneris officium. Indicenda enim sunt sollemnia natalicia AUGUSTI HERMANNI FRANCKII post duo secula communi laetitia concelebranda. At cum diem illum eundem natalem habeat REX AUGUSTISSIMUS CLEMENTISSIMUS GUILIELMUS I., qui dies universae patriae imprimis festus bonorumque omnium animis carus est, sollemnia secularia in proximum diem differenda censuimus. Divini viri memoria ut pia veneratione celebretur, die XXIII. mensis Martii hora nona matutina collega ornatissimus GUSTAVUS KRAMER, aedium Franckianarum director, in aula maxima orationem habebit, cui ut prompto lubentique animo interesse velint professores Fridericiae universitatis amplissimi, verbi divini in hac civitate ministri reverendissimi, magistratus cum regii tum urbici clarissimi, doctores, qui in hoc orphanotropeo nobiscum munere funguntur, spectatissimi et quicumque rebus nostris bene cupiunt, qua par est observantia ex officio rogamus invitamus. Q. D. O. M. B. V.





8, 15, 27, 30



I 319



FS
06